

**05**

**A**

**1456**









IN NOMINE JESU CHRISTI!  
EXERCITATIO SACRA.  
DE

MYSTICO CHRISTI  
MEDIATORIS ADVENTU

IN FIDELES,

*Quam*

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, ADMODUM RE-

VERENDI; AMPLISSIMI ATQVE

EXCELLENTISSIMI

DN. JOHANNIS SCHARFII,

SS. Theolog. Doctoris & Professoris Publici

celeberrimi &c. nec non p. t. Acad. Rect.

Dn. Præceptoris, Patroni, ac Promotoris sui omni honoris  
cultu prosequendi atq; devenerandi.

*Publicæ disquisitioni exponit*

M. JOHANNES FABRICIUS,

Brandenburgo-Marhic.

*In Auditorio Majori die*

*Decembr.*



WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typ.

M DC L.

*LC*



IN NOMINE IESU CHRISTI  
EXERCITATIO SACRA  
DE

MYSTICO CHRISTI  
MEDIATORIS ADVENTU

IN FIDELIS  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI MAGNIFICI ADMODUM RE-

VERENDI MAJESTATIS  
DN. JOHANNIS CHARFII



Publici  
celebratissimi  
Da... honoris

M. JOHANNES FABRICIUS

Brandenburg-Maria  
in... die...

WITTEBERGA

Typis Johannis Rönigk, Acad. Typ.  
M. DC. L.



# ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.

**H**cuti magnum ὁμολογούμενον, **Mysterium**  
fuit, quo Deus manifestatus est in carne i. *Tim. III.*  
16. Ita maximum etiam divinæ charitatis sacra-  
mentum est, quo Christus quotidie per mysticum  
suum adventum revelatur in nostro corde. *Eph. V. 32.*

*Ibi fuit λόγος cum carne Christi unio: hic nostri cum Christo  
communio. in illa caro Christi per λόγον potenter perficitur: in  
hac caro nostra, cor nostrum, spiritus noster, Christi conjunctio-  
ne, & Spiritus S. operatione suaviter reficitur: illa hujus typus est,  
hec illius antitypus; illa fons, hec salutaris aqua, quæ ex fonte  
isto fluit. Cum igitur impræsentiarum de mystico Christi ad-  
ventu, de maximo hoc divinæ charitatis sacramento, pro inge-  
nii modulo, ex verbo orthodoxo aliquid simus dicturi, de  
Christo sermonem à Christo oramus & exoramus verbis & su-  
spiriis Davidis Prophetæ ex *Psal. CXIX. 12. Doceme Christe justi-  
ficationes tuas, revela oculos meos, & considerabo mirabilia de ad-  
ventu tuo: v. 34. Da mihi, Christe, intellectum & scrutabor adven-  
tum tuum, & custodiam illum in corde meo. Amen.**

**S. I.** Non numerosa sed ponderosa Bileami verba sem-  
per credidit orthodoxa vetustas, quæ inter alia *Num. XXIV. 15.*  
*seq. inserta leguntur: Dixit Balaam, filius Beor, dixit homo, cujus  
obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctri-  
nam Altissimi, & visiones omnipotentis videt: qui cadens apertos ha-  
bet oculos. Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non pro-  
pe. Orietur enim stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, &  
percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth. In his siquidem  
verbis continetur: I. Clarissimum de Christo vaticinium: Nugæ*

*Num. XXIV.*

*15. seq.*

*I.  
Clarissimum  
de Christo  
vaticinium.*



(1) ex augustâ Bileami præfatione.

(2) ex longinquâ temporis determinatione.

(3) ex aliorum scripturæ locorum collatione.

(4) ex Majorum ad Christum conversione.

(5) ex veterum Rabbiorum explanatione.

(6) ex patrum testificatione. II. Illustrissimum de regio Christi officio testimonium.

n. sunt, quas Recentiores Judæi venditant, hanc prophetiam de Davide explicantes, qui sit stella propter sanctitatem, virga propter Regiam dignitatem, quia & hic duces Moab percussit. 2. Sam. VIII. 2. Psal. LX. 10. & Idumæos sibi subjugaverit, Num. XXIV. 18. Verius & firmitus hic locus de futuro explicatur Messia. Id quod probatur (1) ex augustâ Bileami præfatione: de rebus enim propheticis, Messia scilicet, adventu, potentia & dignitate, aliisque ad eum pertinentibus dicturus, more prophetico, angusto utitur exordio, ut ex v. 15. apparet. (2) ex longinquâ temporis determinatione: videbo illum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope: h. e. non videbo Josuam, qui jam in Israelitarum castris degit, licet eos in terram Canaan sit introducturus: non videbo Davidem Regem potentissimum, qui post trium seculorum decursum nascendus est; sed Eum, Messiam scilicet, qui non prope est, qui post plurima secula, post annos 1477. ex Israelis posteritate ut stella lucidissima procedet. (3) ex aliorum scripturæ locorum collatione: Ea siquidem h. l. Bileam Messia tribuit quæ in aliis etiam scripturæ locis ipsi assignata legimus: vocat eum stellam splendidam scilicet & matutinam Apoc. XXI. 16. Cum quo congruit quod dicitur Sol Justitiæ Mal. IV. 2. oriens ex alto, Luc. I. 78. Lux mundi Job. XII. 35. Sceptum etiam ei tribuit Psal. CX. 2. Cujus virtute duces Moabitarum, h. e. Diabolum & hostes Evangelii, ac omnes filios Seth, h. e. gentes incredulas sit destrueturus Psal. II. 9. (4) ex Magorum ad Christum conversione: Origenes n. Hom. 13. in Num: statuit Magos, ad præsepe Christi ductos, fuisse Bileami posteros in partibus Orientis, qui descripta habuerint apud se omnia, quæ Bileam vaticinatus est, ac proinde tempore nativitatis Christi agnoverint stellam, & intellexerint jam prophetiam esse adimpletam. (5) ex veterum Rabbiorum explanatione: Chaldaus Paraphrastes ita reddidit: Cum surrexerit Rex ex Jacob, & natus fuerit Messias ex Israel Vid. Galat. I. 8. de arcan. cathol. verit: Cap. I. (6) ex patrum testificatione: Ita explicant, h. l. Origenes d. l. Justinus in Dial. cum Tryph. Athanasius de incarnat: verbi. p. 62. Basilius in orat. de Christi generatione. Hieronymus in Cap. II. Matth. II. illustrissimum de regio Christi



*Christi officio testimonium* : id quod patet. 1. *ex occasione* : Conso-  
 laturus n. Israelitas contra Balac Regis, aliorumq; hostium in-  
 curfus violentos, de Rege Mesſiâ vaticinabatur, ejusq; regium  
 officium non obscure indicabat. 2. *ex verborum consideratione* :  
 in textu originali habetur vocabulum *conculcavit, processit*  
 & quasi *cum conculcatione processit*, ut significetur, maximum fo-  
 re hunc regem, qui omnium gentium potentiam suo incessu &  
 processu sit conculcaturus. *Stella dicitur ob officii sublimitatem* :  
 Sicut enim stellæ sublimi in loco à Deo creatore positæ; ita et-  
 iam noster hic Rex inter alios Reges eminet. 3. *ex sceptri ad-*  
*scriptione* : *Sceptrum n. s. virga consurget de Israel* : Sceptrum a. re-  
 gii officii inſigne ab omnibus habetur. 4. *ex aliorum Regum*  
*& populorum subjectione* : *percutiet duces Moab, vastabitq; omnes fi-*  
*lios Seth* : *Et erit Idumæa possessio ejus, hereditas Seir cedit inimicis*  
*suis* ; *Israel v. fortiter aget* : *De Jacob descendet, qui dominetur &*  
*perdat reliquias civitatis*. III. *Luculentissimum de triplici Christi*  
*adventu præconium* : *Primus est incarnationis*. De quo dicitur :  
*Surget sceptrum, h. e. Dominator ex Israel*. *Secundus est sancti-*  
*ficationis* : *Orietur stella de Jacob*. *Tertius est glorificationis*, de  
 quo dicitur : *destruet omnes Filios Seth* : quia in ultimo suo ad-  
 ventu Christus universa mundi regna destruet, *Dan. II. 44.*  
 Quia v. *de primo Christi adventu* antihac in peculiari disputati-  
 one tractationem suscepimus : *de ultimo differendi alia dabitur*  
*ocasio* : hâc vice *Secundum*, qui est *sanctificationis*, conside-  
 remus. Hunc Christi adventum Bileami verbis indicatum  
 diximus : *Orietur stella ex Jacob* : Non quidem negamus, totum  
 hoc vaticinium potissimum de primo incarnationis adventu  
 esse explicandum, sicuti ex antea allatis rationibus cuilibet con-  
 stare poterit : quia tamen *Sanctificationis adventus* primi illius  
 adventus effectus est, propterea minimè absurdum erit, si con-  
 sequenter quædam huius vaticinii verba ad præsentem quoq;  
 adventum applicentur, præprimis cum hæc verba nostro insti-  
 tuto admodum sint accommodata : idq; probatur (1) *ex stelle ap-*  
*pellatione* : dicitur n. *stellâ orietur ex Jacob* : ita etiam Christus  
 oritur in cordibus, *lux mundi Job. XII. 35. Sol Justitia*, quia  
 ipse

(1) *ex occasione*

(2) *ex verbo-  
rum conside-  
ratione.*

(3) *ex sceptri  
adscriptione.*

(4) *ex aliorum  
regum & po-  
pulorum sub-  
jectione.*

III. *Lucu-  
lentissimum  
de triplici  
Christi advē-  
tu præconiū.*

(1) *ex stelle  
appellatione.*



(2) ex stella  
conditione.

(3) ex stella o-  
peratione.

(4) ex aliorū  
scriptura di-  
ctorum colla-  
tione.

(5) ex conse-  
quentium cō-  
sideratione.

ipse justitiæ autor est in cordibus nostris. (2) ex stella con-  
ditiōe: sicut n. stella illuminatur à sole, ut nobis fiat contpā-  
cua: ita etiam hic adventus CHRISTI secundus jã pri-  
mo lumen accepit, siquidem omnis gratia Dei, omnis no-  
stra cum Deo reconciliatio, & ipsa Christi in nobis habita-  
tio, ex incarnatione ejus originem trahit. (3) ex stella operatio-  
ne: sicut n. stella illuminat *μανθάνουσιν*: ita etiam Christus  
in adventu suo gratioſo, hominem *μανθάνουσιν* collustrat: sic-  
ut stella oritur in coelo naturæ: ita Christus tanquam phospho-  
rus oritur in cordibus nostris, in coelo gratiæ, 2. Pet. I. 19. sicut  
stella mediante lumine, illustrat mundum: ita Christus, me-  
diante verbo, quod est lucerna, Psal. CXIX. 105. Prov. VI. 23. 2.  
Pet. I. 19. nostra corda illuminat. (4) ex aliorum scriptura di-  
ctorum collatione: sicut n. h. l. dicitur: Orietur stella ex Jacob  
ita hoc explicatur Esa. II. 3. De Sion exibit lex & verbum Domini  
de Jerusalem: ita Joh. I. 9. Christus dicitur *lux vera, quæ illumi-*  
*nat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* (5) ex conse-  
quentium consideratione: Quæ n. in consequentibus adjiciuntur:  
*percutiet duces Moab, vastabitq; omnes Filios Seth, & erit Idumæa*  
*possessio ejus: Hæc non de carnali, & temporali regno Christi*  
*sunt accipienda, quasi Christus Regis mundani instar, populos*  
*sit debellaturus: contrarium n. testatur Ipse Job. XVIII. 36.*  
*Regnum meum non est de hoc mundo: & Rom. VI. 13. cap. VIII. 9.*  
*arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia; semper v.*  
*in prophetiis & vaticiniis hæc percussio & devastatio spiritua-*  
*liter est intelligenda, quod Christus verbo oris sui, quod penetra-*  
*bilius est quovis gladio anticipiti Heb. IV. 12. omnes gentes sit de-*  
*vastaturus, id quod fit in adventu sanctificationis & prædicationis,*  
*de quo agere instituimus.*

§. II. Cum v. hujus adventus cognitio admodum sit ob-  
scura, nec cuilibet ex divinis literis statim obvia, libet hæc vice  
proponere quæstionem: *An sit, vel detur ejusmodi adventus Chri-*  
*sti spiritualis?* omnis enim alia tractatio foret inutilis & superva-  
cana, si operosa, de hæc materiâ, verba facere institueremus, quæ  
in rei veritate nulla esset, vel adeo dubia, ut evidenter satis non  
pateat. Nam quia *Adventus Christi Incarnationis* fuit visibilis,  
quia



quia Christus visibiliter natus, à pastoribus & Magis adoratus visibiliter cum hominibus conversatus, visibiliter passus, & crucifixus est, ille quidem absurdus videretur, qui hunc primum Christi adventum negare, vel in dubium vocare auderet. Idem etiam de ultimo ejus reditu est certissimum: quia n. & hic futurus visibilis & externus: quia etiam hic manifestissimis scripturæ testimoniis confirmatur, ideoq; majorem meretur certitudinem, firmiorem & faciliorem assensum & approbationem. Verum cum *Noster adventus* sit internus, mysticus, spiritualis, & ab omni humanæ rationis sensu remotissimus, nullo modo hominibus non renatis, vel mente corruptis hoc videretur absurdum, si quis hunc Christi adventum negaret, & prorsum destrueret. Diabolus n. cum videat, omnem totius Christianitatis spem & salutem, in hoc unico Christi adventu consistere, cumq; esse beneficiorum divinorum complementum, & vitæ æternæ in fidelibus inchoamentum, nullum non movet lapidem, ut hunc Christi adventum, vel penitus ex hominum cordibus eripiat, vel omnibus modis corrumpere, & commaculare non intermitteret. Videt Satanas è cælo dejectus nos propter hunc adventum in cælos recipi. Videt Satanas ex filio Dei filius iræ factus, nos, propter hanc cum Christo societatem, ex filiis Diaboli creari filios Dei, ex filiis iræ fieri filios gratiæ, ex captivis & mancipiis Reges & sacerdotes, ex damnatis & reprobatis capaces æternæ gloriæ & salutis. Furit igitur, & insanit contra hanc nostram prærogativam, furit etiam & insanit contra hujus prærogativæ causam. Concedere potest hominibus, ut audiant de Christo adventu incarnationis, de adventu glorificationis, quia propter ordinem divinitus institutum, intermissâ applicatione, nihil utilitatis inde hominibus accedere potest; sed quando hunc Christi adventum considerare ipsumq; Christum intimè suscipere, & amplecti instituunt, fideles, hoc est quod urit Satanam, quia hinc videt totius regni sui omniumq; conatum suorum ruinam, si quidem, ubi Christus est, Diabolo locus non conceditur. Omnibus igitur modis hæc quæstio contra Satanæ furores & insultus est confirmanda, ne ulla supersit dubitationis rima. Cum a. de Deo & rebus divinis non nisi Dei verbum nobis sit relictum, secundum Hilar. l. 5. de Trin. Nos, ex solâ scripturâ sacrâ nostrum institutum probare conabimur



bimur, & cum hæc tam Nov. quam Vet. T. contineat libros, ex utroq; adventus hujus veritatem demonstrabimus instrumento; neq; id sine causâ, nam cum in utroq; nobis Testamento satis illustria proposita sint testimonia, nostri certè est officii, ea venerari, admirari, & fideli corde amplecti.

§. III. Veteris testamenti libros verè in certas classes distribui posse dicitavit ipsa Veritas, *Luc. XXIV. 44.* Ubi Salvator noster suam passionem & resurrectionem ex Mose, Prophetis & Psalmis comprobasse legitur. Nos in simili casu vestigia Christi prementes ex Mose, Prophetis & Psalmis veritatis argumenta prodncimus. *Ex Mose citamus. I. Gen. IV. 1. Acquisivi virum Dominum.* Variæ quidem sunt hujus loci explicationes *LXX. ἐκτησάμην ἄνθρωπον διὰ τῆς θεῆς Vulg. possedi hominem per Deum: Onkelos interprete Aria Montano: coram Domino: Alii, cum Domino: Alii, ad Dominum: Pagninus & Tremellius: Acquisivi virum à Jehovah. Calvini etiam hic meritò notanda est arrogantia, qui pro suâ Magistrali ἐξουσία, & transmarinâ sapientia, ita in h. l. commentatur: Alii subtilius: possedi virum Dei: quasi intelligeret Heva, jam se habere illum divinitus promissum serpentis victorem. Ita fides Heva laudant, quod promissionem fide amplexa sit, de conterendo per semen suum, diaboli capite. Putant a. in personâ, vel individuo fuisse deceptam, quia ad Cain restrinxerit, quod de Christo promissum erat. Mihi a. genuinus hic videtur sensus esse quod dum sibi gratulatur Eva, de filio nato, eum Deo, tanquam generis sui primitias, offerat. Proinde vertendum censeo: Acquisivi Domino virum, quod ad Phrasin Hebraicam propius accedit. Egregium sane Christianum, qui contra Christianos, in castris perfidorum Judæorum, militare ausus est. Egregium etiam Hebræum, qui contra pervulgatam, & ab omnibus hætenus receptam sententiam, *NON* non Accusarivi, sed Dativi notam, pro suâ dictatoriâ potestate, constituere voluit. Nos potiozem, cum potioribus Theologis & Hebræis, sententiam, textui ipsi congruam, & præcedenti capiti tertio consentaneam complectimur, & de Messiâ h. l. esse sermonem, & vere explicari: *Acquisivi virum Jehovah.* Quibus verbis mater omnium *fideli-**

um



um Eva fideli corde ad promissum mulieris semen, *Gen. III. 15.* respexit, & summo desiderio, hunc virum, qui esset Jehova, & capitis serpentini conculcator, expectavit ejusq; adventum exoptavit. Quamvis a. libenter concedamus, Evam in carnali hac & externa Caini generatione, Christi etiam externum, visibilem & carnalem adventum principaliter expectasse & exoptasse, tamen Spiritualem ejus adventum non penitus excludendum, sed potius includendum, & subintelligendum esse, ex sequentibus constabit rationibus. Nam hæc verba *E. v. z.* confessionem tenere, non opus est probatu, *E. v. z.* confessionem Spiritualem Christi adventum probare demonstramus. *i. ex confessionis fundamento quod habetur, Gen. III. 15. semen mulieris conteret caput serpentis.* Adventus Messiae promissus erat nostris protoplastis, ut contereret caput serpentis: Ubiq; igitur serpens caput suum erigebat, ibi necessarius erat aliquis adventus Messiae contritoris, eumq; efficaciter adfuisse fidelibus, sicq; in eos semper advenisse, promissionis divina firmitas ostendit: Atqui in protoplastis nostris serpens caput suum erigebat. *E.* Major facili negotio probatur, ex amissa hominis libertate, quia propria virtute non poterat resurgere: ex corruptionis gravitate, quia multis modis natura nostra erat corrupta; corrupta erat quoad animam, quoad omnes facultates: corrupta quoad corpus & omnia membra: ex Diaboli potestate, qui sua potentia longè robustior homine, adeoq; homo alio auxiliatore necessario indigebat, & ita prius Majoris membrum probatum dedimus; posterius etiam, quod Messias fidelibus semper adfuerit, inq; eorum cordibus adventum suum celebraverit, id ex promissione divina, uti dictum, probari potest: Minor etiam extra omnem contrersionem posita est, quia homo variis subiectus erat infirmitatibus & peccatis, quæ Diaboli erant effecta, firma igitur stabit conclusio. Porro ita argumentamur: Si in protoplastis nostris Messias suum celebravit adventum, sequitur eum fuisse Spiritualem: Atqui verum prius *E. & post:* Connexio probatur ex eo, quod triplex statuitur Christi adventus: Primus carnis: secundus mentis seu gratia: tertius Majestatis: Hic in ultima seculi consummatione demum futurus est *Dan. VII. 13. Matth. XXIV. 30.*



XXIV. 30, 1. *Theff. IV. 16.* &c. E. non hoc modo ad protopla-  
stos nostros venit. Ille qui est carnis, decreto divino non ab  
initio statim mundi creati, sed in ultimis diebus fieri debebat,  
adeoq; nec hic in diebus protoplastorum locum invenire poterit  
solus itaq; remanet iste, qui dicitur gratiæ & mentis adventus. At  
hic est spiritualis: Secundum hunc n. Filius Dei corda protopla-  
storum accessit, suum regnum in iis inchoavit, & Diaboli ope-  
ra destruxit. Hinc igitur manifestum est, Spiritum Sanctum,  
cujus ductu & inspiratione citra dubium hæc Eva protulit ver-  
ba, cum sciret spirituales solum adventum protoplastis conve-  
nire, nequaquam voluisse eum ex hac confessione penitus ex-

**II. Ex confes-  
sionis subjecto**

**III. Ex con-  
fessionis prin-  
cipio.**

**IV. Ex confes-  
sionis adjun-  
cto.**

clusum. **II. ex confessionis subjecto:** fidelis mulier Eva subje-  
ctum erat hujus confessionis; fidelis quia erat, eum quoq;, qui  
secundum fidem est, spirituales sc. adventum h. l. minimè se-  
ponebat. **III. ex confessionis principio:** Confessio n. quæ ve-  
ra est, ex fide originem trahit, fides sine Christo nulla est, cum  
fides & Christus sint relata, adeoq; Christus prius advenire de-  
buit, quam Eva hanc confessionem edere potuit. **IV. ex con-  
fessionis adjuncto:** Exultabat Eva in Domino, & de acquisitione  
Messiæ gloriabatur, jam a. sine Christo nulla in cordibus ho-  
minum lætitia, sed mera tristitia, nulla exultatio, sed mera lamē-  
tatio. Ergo sine dubio Christi adventus hujus exultationis  
causa extitit, hic a. nullus alius, nisi spiritualis & sanctifica-  
tionis, esse poterit.

**II. Gen. XV. 6.**

**I. Ex propriâ  
fidei conditi-  
one.**

**S. IV.** Alterum ex Mose dictum producimus *ex Gen. XV. 6.*  
*Credidit Abraham Deo, & imputatum est ipsi ad justitiam.* Ex his  
verbis mysticum Christi adventum facillimo labore colligi-  
mus, si paulò accuratiori mentis indagine verba, eorumq; sen-  
sum perlustramus: nostrum siquidem institutum confirmatur  
(1) *ex propriâ fidei conditione:* fidem enim h. l. non historicam  
aut generalem, nec miraculosam aut civilem, sed salvificam  
& specialem, sub *credendi* vocabulo, Abrahamo assignari, non  
opus habet ullâ probatione, cum & subjectum, & objectum,  
itidemque aliæ textus circumstantiæ, nullam aliam admittant  
acceptationem, Apostolica etiam allegatio omni exceptione  
maior,



major, nostram confirmet explicationem *Rom: IV. 3. Gal. III. 6.*  
 Fides autem salvifica, non in quantitatis, aut qualitatis, sed re-  
 lationis consideranda est prædicamento: cum vero relata se  
 mutuò ponant & tollant, sintque simul naturâ, secundum Phi-  
 losophorum statuta, habebit certè nostrum relatam suum cor-  
 relatam, Christum scilicet, quem manus instar spiritualis fir-  
 miter appetit, firmiter apprehendit, firmiter custodit, sibi que  
 adunit. Cum igitur h. l. expressè dicatur, Abrahamum cre-  
 didisse, quis de eo dubitaret, Christum venisse ad Abraha-  
 mum? nisi ei enim adfuisset, fide ipsum apprehendere non  
 potuisset. (II) *ex subjeçti consideratione: credidit Abraham,* di-  
 cit Moses. *Cum enim sapientia non intret animam malevolam.*  
*Sap. I. 4.* Christus etiam in malis hominibus non habitat, neq;  
 spiritualem cum eis communionem instituat, non h. l. fides  
 impio aut infideli, sed patri fidelium & piorum adscribitur:  
 jam autem in fidelib9 habitat Christus, in fidelibus vivit Chri-  
 stus, *ex Job. XIV. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, &*  
*Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud*  
*eum faciemus. Galat: II. 20. Vivo jam non ego, sed vivit in me Chri-*  
*stus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dile-*  
*xit me, & tradidit semetipsum pro me.* Vivit autem Christus in  
 fidelibus non corporaliter, ut unum fiat cum ipsis corpus, sed  
 spiritualiter, adeoque cum vixerit etiam in Abrahamo per fi-  
 dem, mediante eadem fide, spiritualement suum in ipso adven-  
 tum celebravit.

II. Ex subje-  
 çti considera-  
 tione.

S. V. III. *ex objecti emphaticâ descriptione: credidit Abraham*  
 DEO: In textu originali habetur *אֱלֹהִים*, quasi diceret: In DE-  
 UM. Ubi notanda venit differentia inter credere Deum: *Crede-*  
*re Deo: & credere in Deum:* illud est essentia: istud veritatis: hoc  
 bonitatis: illud est notitia: istud assensus: hoc fiducia: illud o-  
 mnibus: istud multis: hoc paucissimis contingit. *Credimus si-*  
*quidem Deum: quando ipsum esse, ipsum omnia creasse, o-*  
*mnia conservare & gubernare cognoscimus: Credimus Deo:*  
 quando omnia, quæ in verbo revelato nobis à Deo sunt mani-  
 festata, verissima esse confitemur, iisque omnibus assentimur:

III. Ex obje-  
 çti emphati-  
 câ descri-  
 ptione.



*Credere vero in Deum*, denotat specialem cordis fiduciam, quæ  
certo statuimus, Deum propter Christum esse nostrum protec-  
torem & defensorem, in quo fit nostra adoptio, nostra justifi-  
catio, sanctificatio, & vera cum Deo communio. Licet autem  
hæc distinctio apud Hebræos non sit perpetua, ut rectè ex ipsis  
fontibus annotavit *Dn D. Glassius*: tamen cum h. l. reperiatur  
יהוה, hoc exinde colligimus, Abrahamum, non nisi in Chri-  
sto, non nisi per & propter Christum, non nisi cum Christo  
DEO & in DEUM credidisse, adeoque Christo ipsi verè adfu-  
isse. Illud præterea apparet *ex v. 1. hujus cap: XV. Noli timere*,  
inquit Dominus: frustra hæc dicta fuissent Abrahamo, si abs-  
que Christo fuisset: extra Christum siquidem nil nisi timor,  
nil nisi pavor, nil nisi fuga: *Ego protector tuus*, pergit hic Do-  
minus: Protegit autem animam, protegit corpus: *illam à Dia-*  
*boli tentationibus, & ab omnibus peccaminosis actionibus:*  
*hoc vero ab omnibus hujus mundi periculis & insidiis.* Sic qui  
protegere Abrahamum voluit, ipsi vel maximè præsens esse  
debit. Quis autem est ille protector, qui ita præsens est? re-  
spondet Angelus *Exod. III. 6. Mosi: Ego sum Deus Patris tui, Deus*  
*Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob:* idem repetit *v. 15, 16. cap. IV. 5.*  
jam vero nemo alius fuit hic Angelus, qui apparuit Mosi, quam  
ipse Christus, Filius Dei unigenitus. Quod non fuerit Angelus  
creatus, patet *partim ex divina appellatione*: quia ipsi essentielle  
Dei nomen JEHOVA *v. 14.* tribuitur, quod soli Deo compe-  
tit; nulli vero Angelo creato ullibi assignatum est: *partim ex*  
*apparentis descriptione*: quia se vocat *DEUM Abrahami, DEUM*  
*Isaaci, DEUM Jacobi v. 6.* quod itidem nulli creaturæ conveni-  
re potest: Præterea dicit se *audivisse clamorem populi v. 7.* vocat  
Israelitas populum suum, *mittit Mosen ad Pharaonem v. 10.* polli-  
setur sibi post *eductionem ex Aegypto exhibendum cultum divinum*  
*v. 11.* ab illo Angelo Moses Josephi posteris benedictionem pre-  
catur, quo ipso imitatur Jacobum Patriarcham *Gen. XLVIII. 16.*  
solus autem Deus benedictionis veræ autor & collator est.  
Quod itidem non fuerit Pater vel Spiritus S., apparet *partim*  
*ex appellatione*: quia dicitur *Angelus*: Pater autem nullibi dici-  
tur



tur Angelus, cum à nullâ personâ vel mitti velit, vel possit. Spiritus S. etiam, licet à Patre & Filio visibiliter sit missus super Apostolos *Act. II.* & invisibiliter ab eodem Patre & Filio adhuc hodie mittatur in corda credentium, ut ea sanctificet per verbum & Sacramenta, tamen non, ut Filio, ita & Spiritui S. hanc appellationem assignatam legimus: *partim ex Symbolicâ apparitione*: apparet siquidem in rubo ardente, qui tamen igne non absumitur, quod incarnationis fuit Symbolum, & mystica delineatio, quod tota lux divinæ Majestatis in humanâ naturâ suo tempore assumenda, sine ullâ ejusdem abolitione vel destructione, sit habitura: *partim ex reliquarum apparitionum divinarum consideratione*: ibi enim per Angelum istum apparentem, cui attribuuntur nomina divina, opera divina, cultus divinus, semper intelligendus est Filius Dei: *partim ex Patrum & Rabbinarum testificatione*: de Filio enim Dei h. l. explicant, *Justin: Ambros: Hilar: Theodor: August: & alii.* Cum igitur hic Deus Abrahami, hic protector Abrahami sit Christus, certe ipsi quam proximè adsit necessum est: Sicut enim scutum istud, quod non accommodatur corpori, sed vel in armamentario asservatur, vel etiam alibi depositum cernitur, corpus ipsum defendere & tegere nequit: ita etiam Christus non se ipsum Abrahami scutum appellare debuisset, nisi præsens ipsi esse vel potuisset, vel voluisset: nam *𐤀𐤃* clypeus, scutum, sive deducatur à *𐤀𐤃* texit, obtexit, protexit, sive à *𐤀𐤃* dedidit, tradidit, utrumque tamen nostrum institutum confirmat: quod enim tegimus, obtegimus, protegimus, illi præsentes sumus: sic nec ulli quicquam tradere possumus, si illud, quod tradituri sumus, absens deprehendatur. Præterea dicit Filius Dei Abrahamo: *Ego sum merces tua magna nimis*: merces fidelium est Christus, in intellectu, quem illuminat: in voluntate, quam sanctificat: in corde, quod vivificat: merces est in oculis, quos à vanitate avertit: merces est in pedibus, quos in veritatis viâ ducit: in manibus, quas ad quævis bona dirigit: in ore & lingua, quam ad laudes divinas prædicandas erigit: merces est in animâ, merces in corpore, imò merces in omnibus. Ergo vel



maximè ipsi fidelibus aderit, cum hæc omnia non absentis, sed præsentis sint beneficia.

*IV. Ex justitia imputatione.*

§. VI. *IV. Ex justitie imputatione*: hoc, inquit Moses, quod credidit Abraham Deo, imputatum ipsi est ad justitiam: Justitia, quæ Abrahamo, & nobis omnibus imputatur, non est justitia nostra, siquidem ea est instar panni menstruatæ *Esa: LXIV. 6.* cum sit imperfecta, & multis modis inquinata: nec est justitia Dei essentialis: si enim Deus justè, secundum justitiæ suæ rigorem, nobiscum agere, & misericordiæ oculos à nobis avertere voluisset, nil nobis beatitudinis contingeret, omnes nos ignis infernalis cōcluderet: sed est justitia Christi Mediatoris, nam Christus dicitur *justitia nostra* *Jer: XXXIII, 16.* nō quidem ratione naturæ vel divinæ, vel humanæ, sed ratione officii, quia Christus mediator Deus & homo, in unitate personæ, justitiam coram Deo valentem nobis acquisivit, quâ coram Deo justificamur, & à peccatis, peccatorumque pœnis absolvimur. Dicitur autem hæc Christi justitia, non tantum ratione divinæ constitutionis, quia à Deo decretum, & ab æterno, in augustissimo SS. Trinitatis collegio, constitutum est, ut Christus nostra esset justitia, ut in temporis plenitudine nostram humanam massam assumeret, nosque omnes in eâ, & per eam redimeret: neque tantum ratione acquisitionis, quia pro nobis omnem implevit justitiam *Matth: III. 15.* acquisivit ea omnia, quæ ad nostram salutem consequendam erant necessaria: ex hac enim divinâ constitutione, & Christi acquisitione nondum certi essemus, de verâ Christi apud fideles præsentia, de ejus mystico & spiritali ad fideles adventu: Sed nostra etiam Christus dicitur justitia ratione applicationis, siquidem ipse operatur in nobis & velle & perficere, *Phil: II. 13.* Christus est  $\alpha$  &  $\omega$ , ut rerum omnium, ita quoque nostræ justificationis, regenerationis & renovationis: ipse præsentem & potentem, non tantum omnia salutis media proponit, sed etiam præsentem & potentem eadem omnibus & singulis fide utentibus applicat & obsignat. Quis igitur ex hac præsentissimâ & potentissimâ Christi applicatione, ipsius Christi præsentiam non intelligeret?

ret



ret? Quis ex hac Christi operatione efficacissimâ, ejus fidelem, mysticum & spiritualem adventum, non fideli corde & mente crederet? Nos sane, qui Spiritui S. credimus, qui justitiæ Christi applicationem & imputationem Abrahamo factam audimus, ex hac præsentis Christi applicatione, ipsum Christum Abrahamo præsentem adfuisse colligimus.

§. VII. Ultimo loco allegamus ex Mose *cap. XXVIII. 15. Geneseos. Ego ero tecum custos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam te, nisi complevero universa, quæ dixi.* Hanc dulcissimam, & omni consolatione plenissimam, de præsentia Christi s. Filii Dei cum fidelibus, promissionem, antequam ad præsentem materiam applicemus, ante omnia considerandum est, quis hîc loquatur? Respondemus nos esse Deum Filium s. Salvaorem nostrum, idq; probatur (I.) *ex hujus visionis occasione*: Est ea tristissimus status & exilium, ex eoque fluens maxima tristitia Jacobi. Jacob siquidem consilio matris Rebeccæ à Patre, Esavo ante obitum suum benedicere cupiente, benedictionem loco Esavi acceperat, eo ipso in præsentissimum vitæ periculum pervenerat: nam Esau oderat Jacob propter benedictionem, quâ benedixerat ei Pater, dixitque in corde suo: *Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*. Hoc periculum ut evitaret, alia vitæ ratio erat instituenda, & exilium suscipiendum: Jacob igitur jussu parentum in Mesopotamiam pergebat ad avunculum suum Labanem; sed quo statu, quo animo? facile hoc quivis paulò penitius historiam inspiciens cognoscere potest: quod enim in summâ fuerit tristitiâ & mærore, sine ullo labore colligere licet, *tum ex exilii occasione*: quam consilium Esavi, de interficiendo fratre, continet: sine dubio igitur Jacob secum reputavit peccati hujus gravitatem, Esavi cæcitatem & obstinatam perversitatem, quod Deo Deique consilio (*Gen: XXV. 23. Major serviat minori*) & matri tam pertinaciter resisteret; parentum etiam mærorem & infelicitatem, illam enim non obscure ipsa mater insinuat, *cap: XXVII. 45. cur utroque orbabor filio in uno die?* ex quibus omnibus summa non poterat non oriri tristi-

tiâ:

III. Genes.  
XXVIII. 15.

I. Ex hujus  
visionis oc-  
casione.



1797. 11  
XXIII.

tia: tum ex exilii consideratione: relinquenda erat Patria, relinquendi parentes, relinquenda tota familia, imò quod omnium maximum erat, relinquenda erat domestica Isaac parentis Ecclesia, in qua verus vigeat Dei cultus: ipse vero ad idololatram pergebat. Labanem in Mesopotamiam, in ignotum locum, ad ignotos homines, ad ignotam familiam: Certè si modo unice svavisimam matris Rebeccæ conversationem, dulcissimam cohabitationem & colloctionem, & sapientissima in rebus gerendis consilia considerasset, vix apud se præ nimio mærore manere potuisset. Quanta enim sit exilii miseria, graviter Ovidius in lib: 1. Tristium Eleg: 3. suo exemplo nobis omnibus descripsit, inquit:

Cum subit illius tristissima noctis imago,

Quæ mihi supremum tempus in urbe fuit:

Cum repeto noctem, quæ tot mihi chara reliqui,

Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis.

Et de se abituro ita canit:

Nec spatium, nec mens fuerat satis apta parandi:

Torpuerunt longa pectora nostra mora.

Non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus

Vivit, & est vitæ nescius ipse sue.

Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,

Imbrè per indignas usque cadente genas.

Quocumq; aspiceres, luctus gemitusq; sonabant,

Formaq; non taciti funeris intus erat.

Famina virq; meo, pueri quoq; funere marent,

Inq; domo lachrymas angulus omnis habet.

Et qui plura legere voluerit de summâ exilii miseriâ plurima ibidem longo ordine pertexta inveniet. Quis igitur dubitaret in Jacobo parilem fuisse tristitiam? tum ex divinâ apparitione: tanta enim in Jacobo fuit consternatio, ut Deo etiam consolatore & corroboratore opus habuerit. Cum igitur non possit negari, Jacobum tum temporis in tristissimo fuisse statu, vix etiam hoc negari poterit verum consolatorem ipsi adfuisse, qui est Salvator noster Christus, quia ipse cum omnibus est in afflictione. Psal. XCI. 15.

S. VIII.



§. VIII. (II.) *ex appellatione*: Qui hic apparet Jacobo vocat se peculiari nomine v. 13. dicens: *Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui & Deus Isaac*: quis autem sit hic Deus Abraham & Isaac, Ipse Filius Dei declarat *Exod: III.* ubi hæc verba aliquoties de seipso explicat, dicens: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Ergo Christus Filius Dei h. l. apparuit.* (III.) *ex Symbolicâ apparitione*: apparet hic scala stans super terram, & cacumen illius tangit cœlum: scalam hanc fuisse symbolum Christi, ex variis apparet *αετηνείοις*: sicut enim scala hæc à terrâ ad cœlum pertingit, sic Christus in personæ unitate est germen terræ *Esa. XLV. 8.* h. e. verus homo: & Dominus de cœlo, i. e. verus Deus: sicut duæ extremitates scalæ per *συνάφεια* conjungebantur, ut unam constituerent scalam: sic duæ in Christo naturæ personaliter unitæ, unam constituunt personam: sicut hæc scala suos habebat gradus, quorum beneficio ascendebatur & descendebatur: ita in Christo certi sunt gradus, certi articuli fidei, qui quasi sunt concatenati, sine quibus cœlum ascendere non possumus: quales gradus sunt Christi conceptio, nativitas, circumcisio, baptisatio, prædicatio, captivatio, passio, crucifixio, occisio, sepultura, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio & ad dexteram Dei sessio: his si quis gradibus usus fuerit, cœlum verè ascendere poterit: sicut per scalam hanc cœlum nobis aperitur: ita Christus paradisum, propter peccata nobis occlusum, reſeravit: sicut hæc scala cœlum cum terrâ conjungebat: ita Christus homines Deo Patri cœlesti reconciliabat. *Hinc Bonaventura pulchrè ita loquitur: scala Paradisi fracta in Adamo: reparata fuit in Christo.*

II. Ex appellatione.

III. Ex Symbolicâ apparitione.

§. IX. (IV.) *Ex Angelorum ascensione & descensione*: In quo nobis datur societas & conversatio Angelorum, ille h. l. apparuit. Atqui in Christo nobis datur hæc conversatio Angelica, cum aliàs extra Christum sint hostes ac inimici nostri, & nos expellant Paradiso *Gen: III. 24.* (V.) *Ex multiplici promissione*: Nam hic Dominus, qui h. l. Jacobo apparuit, sex ingentia bona & beneficia ipsi promisit: siquidem promittit ipsi. *i. terra possessionem*: inquit: *Terram, in quâ dormis, tibi dabo,*

IV. Ex angelorum ascensione & descensione.

V. Ex multiplici promissione.



*VI. Ex verborum consideratione.*

*dabo & semini tuo. 2. Seminis multiplicationem: Eritque semen tuum sicut pulvis terrae: dilataberis ad orientem & occidentem, & septentrionem & meridiem. 3. Spiritualem benedictionem, per Messiae adventum: Benedicentur in te, & in semine tuo, cunctae tribus terrae. 4. perpetuam defensionem: Et ero tecum custos tuus, quocumque perrexeris. 5. Exilii finitionem: Et reducam te in terram hanc: 6. assiduam consociationem: nec dimittam te, nisi complevero universa, quae dixi. Hæ sunt illæ promissiones h. l. Jacobo datæ satis magnæ, satis multæ, satis etiam firmæ. Cum autem extra Christum nulla nobis datur à Deo promissio, utique Christum h. l. adfuisse uecessum est. (VI.) Ex verborum consideratione: Ero custos tuus: quod hic custos nemo alius sit quam Filius Dei, explicat ipse Jacob Gen. XLVIII. 16. in benedictione duorum Filiorum Josephi; dicens: Angelus, qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris istis: Ulterius pergit: Et reducam te in terram hanc: sive hoc intelligatur de Jacobo, sive de Jacobi posteris, utraque tamen sententia confirmat hoc ipsum, quod volumus. Nam quod Jacobus à nullo alio in patriam revocatus sit, patet ex Gen. XXXI. 11. ubi hæc leguntur verba: Dixitque Angelus Dei ad me (inquit Jacob ad uxores) in somnis: Jacob: Et ego respondi: Adsum: Qui ait: leua oculos tuos, & vide universos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quae fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi. Nunc igitur surge & egredere de terrâ hâc revertens in terram nativitatis tuæ. Quod eum vero non tantum revocaverit, sed etiam in columem reduxerit, ab omni hostium incurso defenderit, & verè custodierit: patet tum ex verbis Labanis Gen. XXXI. 29. Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus Patris tui heri dixit mihi: cave, ne loquaris contra Jacob quicquam durius: tum ex angelorum apparitione Genes. XXXI. 1. 2. Filius enim, propter hanc suam promissionem, Angelos suos emisit, ut Jacobum comitarentur, eumque incolumem in Patriam reducerent: tum ex Jacobi precatatione: Gen. XXXII. 9. 10. 11. 12. tum ex Filii Dei apparitione v. 24. Si vero de Jacobi posteris hæc reductio sit intelligenda.*



genda, tota historia Exodi, Levitici &c. nostram sententiam mirificè corroborat. (VII.) Et ipsa Filii Dei explicatio: Hanc enim apparitionem de seipso, non tantum in V. T. Jacobo in somnis, interpretatus est, Gen: XXXI. 11. ubi Angelus dicit: *Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi: sed etiam in N. T. vigilantibus & audientibus discipulis Joban. I. 51. ita explicuit, juramento hanc explicationem confirmans: Amen, Amen dico vobis: videbitis à modo cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super Filium hominis.* (VIII.) Ex Patrum consensione: De hac enim visione Jacobi Tertull. lib. de fugâ dicit, quod in eâ viderit Christum, qui est domus Dei & simul porta, per quam intramus in cœlum. Augustin. serm. 40. de verb. Dom. Somnium hominis non scriberetur, nisi magnum pietatis mysterium 1. Tim. III 15. in eo præsfiguraretur. Bonaventura: *Hæc est scala peccatorum: per quam Christus Rex cœlorum ad se traxit omnia: idem quoque passim alii Patres & Theologi inculcant.* Certum igitur est ex dictis, neminem alium h. l. intelligendum esse, quam Filium Dei, qui dicit: *Ego ero tecum custos tuus quocunque perrexeris.*

VII. Ex ipsâ Filii Dei explicatione.

VIII. Ex Patrum consensione.

§. X. Deinde etiam notandum, quid dicat Filius Dei? *Ero tecum, inquit, custos tuus, quocunque perrexeris; & reducam te in terram hanc, nec dimittam te, nisi complevero universa, quæ dixi:* Singula verba, singula pondera: non sane superficie tenus saltem sui gratiosi adventus mentionem faciebat, sed multis verbis operosè eum inculcabat, id quod patet (1) Ex Emphatica particula usurpatione: omissa quidem ea est à Vulgato interprete, annotata tamen; à Spiritu S. in Hebræo idiomate: *וְהָיָה*. Et ecce: nisi peculiare quoddam beneficium & officium Filius Dei Jacobo explicare voluisset, quid opus fuisset, in mediâ oratione alio sermonis genere uti? varias enim, easq; non vulgares, ipsi jam dederat promissiones, ut ex verbis præcedentibus annotavimus: Si igitur promissionem reliquis collacteam h. l. subjungere voluisset, nullo modo hanc ipsam particulam *Ecce* inseruisset; Sed res salva est: dederat ipsi promissiones, easque pretiosissimas, sed talem nondum dederat, qualem jam

I. Ex Emphatica particula usurpatione.

C 2

expo-



expositurus erat. Nam priores partim fuerant temporales, qualis illa de terræ promissione & possessione v. 13. de seminis multiplicatione v. 14. partim, licet spirituales, tamen universales, qualis illa de benedicti seminis incarnatione, v. 14. *benedicentur in te, & in semine tuo cuncta tribus terræ*: jam vero cum spirituales, easque soli Jacobo, & cuilibet fideli proprias vellet enarrare promissiones, singulari, & non vulgari opus erat attentione, summâ admiratione, & fideli observatione: *attentionis* igitur *particula*, qualis *Ecce est*, Jacobi cor & mentem, Jacobi aures & omnia membra, ad attentionem excitare voluit, ut hanc concionem non oscitanter, sed ardentem exciperet. *Ecce* etiam *admirationis* nota est, ut hoc summum beneficium Jacobo fideli admiratione prosequeretur, ideo hanc admirationis notam adhibuit. *Ecce* etiam *certitudinem* denotat, ne igitur ulla dubitatio, ulla mala cogitatio Jacobi, de hac promissione, fidem turbaret, hanc particulam *Ecce* Filius Dei præmisit. Non ergo de promissione quadam generali, aut præsentia universali, secundum quam omnibus præsentem adest, præsentem etiam cum omnibus operatur secundum *act. XVII. 28. in ipso sumus, movemur & vivimus*, h. l. sermonem instituit, quia tam augustam præparationem adhibuit, sed de speciali, eaque spiritali, & mysticâ præsentia verba protulit, quæ omnem humanum sensum & intellectum penitus fugit.

II. Ex Subjecti expressâ denominatione.

§. XI. (II.) *Ex subjecti expressâ denominatione*: Iridem hæc subjecti nota, quæ tamen magnam præ se fert Emphasin, explicite à *Vulgato* omissa, licet implicite in verbo sit notata: majori emphasi Hebr. textus hoc subiectum notavit **אני ה' אלהי אברהם** *Ecce ego & non alius: Ego, qui sum Deus Abraham, Deus Isaac, v. 13. Ego, qui sum Deus Bethel Gen. XXXI. 13. Ego, qui patribus tuis, de terræ possessione & seminis multiplicatione, promissiones dedi, & jam tibi repetii &c. Ego ero tecum, quia sum sponsus animæ tuæ, Salvator tuus, redemptor tuus: Ego ita spiritualem meum adventum, ut in omnibus aliis fidelibus, ita quoq; in corde tuo in animâ tuâ, quotidie & semper institutam ut sicut mas & foemina per conjugium corporale, fiunt*  
una



nna caro: Sic & ego sponsus, cum animâ tuâ, sponsâ meâ, per  
 mysticam desponsationē, unus ero spiritus. (III.) *Ex omiſſâ tem-  
 poris determinatione:* Non enim ut *Vulg.* posuit h. l. futurum repe-  
 ritur in lingua authenticâ: ille enim ita reddidit: *Ero tecum: Me-  
 lius Arr. Mont. Et ecce ego tecum:* Nam idem quoq; legitur in Hebr.  
 וְהָיִיתִי עִמָּךְ, ubi nulla sit mentio vel futuri, vel  
 præteriti, vel præsentis temporis, nullum includitur, ut  
 nullum excludatur, sed omne tempus ex primatur:  
 potest tamen futurum subintelligi, si præteritum & præsens  
 præsupponatur, & h. l. respectus ad promissiones, quæ ad futu-  
 ra plerumq; tempora referendæ, habeatur. Quod enim præ-  
 teritum non sit excludendum, ex eo facile colligitur, cum Chri-  
 stus præteritis etiam diebus animam Jacobi, inde usq; à primâ  
 circumcisione, incoluerit: fuit siquidem Jacob אִישׁ כָּמֹנִים  
*vir perfectus, Ein fromm Mann.* Præsens item tempus mini-  
 mē posse ab hâc promissione removeri, sit manifestum ex hâc  
 præsentis apparitione, & animæ Jacobi illuminatione, tum ex  
 Dei conditione, cum apud eum sit perpetuum *Hodie* perpetu-  
 um & stabile *viv.* immobile præsens. Quicquid autem sit, & præ-  
 teritum, & futurum, & præsens tempus nostrum institutum illu-  
 strant. Nondum enim venerat Christus in carnem, nec jam  
 hoc tempore veniebat, nec tempore Jacobi venturus erat, adeo-  
 que de primo adventu ea intelligenda esse, minimē censemus.  
 Sed nec de ultimo iudicii accessu ea accipere quis poterit, cum  
 hic nostro nondum tempore sit institutus. Ergo sequitur quod  
 de secundo Christi adventu omnia, quæ in præsentis textu oc-  
 currunt, loquantur: secundum hunc enim Christus ad Jaco-  
 bum antea venerat, jam veniebat, & in posterum venturus erat.

§. XII. *IV. Ex subjecti applicatione: Ego Tecum:* Non autem  
 hic præsentia quædam generalis est intelligenda, ut antea demō-  
 stratum: nulla enim hic opus fuisset singulari promissione, singu-  
 lari confirmatione: neq; præsentia externa, sicut homo homini  
 adesse solet, sed intima & arctissimū unio, quâ Christus sibi ani-  
 mam fidelem associat; non quidem eo gradu, quo caro nostra  
 cum ἰποστάσει τῆς λόγῃ conjuncta est: ille enim est μονότροπος

C 3

καὶ

III. Ex omiſſâ  
 temporis de-  
 terminatione

§. XII.

IV. Ex subje-  
 cti applicatio-  
 ne.



magis est *καίπερ* *Θ*, quem Christus cum nullo homine communem  
habet; sed eo sc. gradu, qui sanctis & fidelibus hac in vitâ pro-  
prius est. Nam notandum h. l. quod distincti sint gradus præ-  
sentiae Christi seu Filii Dei. Scholastici tres numerarunt, ut  
videre est apud Lombard. l. 1. dist. 37. c. 1. primo datur *praesentia uni-*  
*versalis sive generalis*, quæ creaturis omnibus adest, easq; susten-  
tat, conservat & gubernat, juxta quam præsentiam coelum. &  
terram implere dicitur *Jer. XXIII. 24*. Ita quidem, ut vigore  
hujus impletionis, *in ipso vivamus, moveamur & simus*, interpre-  
to *Apostolo Act. XVII. 28*. Altera est *specialis*, quâ gratiose habitat  
in sanctis, & longè est ab impiis: notatq; partim specialem &  
arctiorem Dei in sanctis, tanquam in templis suis, inhabitationem,  
partim benignam apud ipsos operationem, in eorum ju-  
stificatione, renovatione, defensione, consolatione, conforta-  
tione, donorum singularium collatione, & similibus beneficiis  
sitam. Tertia est *singularis*, quâ omnis plenitudo τὸ θεὸς habitat  
in assumptâ carne *Col. II. 9*, quos tres præsentiae gradus  
aliàs scholastici ita efferre solent: Deus est ubiq; ineffabiliter, in  
sanctis misericorditer, in Christo excellenter. Non autem de  
primo, aut tertio præsentiae gradu h. l. sermo est, sed potissi-  
mum de secundo, secundum quem fideles dicuntur adherere  
Domino *Psal. LXXIII. 28*. *& unus cum Christo esse Spiritus*, *1. Cor.*  
*VI. 17*. *membra Christi esse*, *v. 15*. *in Christo esse*, *Joh. XIV. 20*.  
*tanquam palmites in vite*, *Joh. XV. 4*. *dicuntur Christo inseri &*  
*implantari Rom. VI. 3. 5*. *Christum induere*, *Gal. III. 27*. *& Chri-*  
*stus eis inhabitare, in ambulare & in eis manere*, *Eph. III. 17*. *2.*  
*Cor. VI. 16*. *Joh. XIV. 23*. *Levit. XXVI. 12*. Quæ phrasæ omnes,  
non qualem cunq; notant assistentiam, præsentiam aut opera-  
tionem sicut Christus adest omnibus creaturis, sed arctissimam  
unionem, quæ ex Christo & membris ejus unum facit corpus,  
& unum spiritum. Christus enim membra sua sibi ita adglu-  
tinat, ut per illa operetur, in illis vivat, habitet, ambulet, tan-  
quam in proprio suo domicilio, quod alteri possessori non com-  
mittit: Christiani vicissim sibi Christum appropriant, & velut  
vestimentum induunt: nam qui in communiione cum ipso sunt,  
nunquam nudi reperiuntur *2. Cor. V. 3*. h. e. nunquam sine Chri-  
sto,



sto, in cuius fide vivunt *Gal. II. 20.* & in quo omnia possunt *Phil. IV. 13.* neq; audent aliquid, quod non per ipsos efficiat Christus *Rom. XV. 18.* Sic etiam h. l. Filius Dei dicit Jacobo: *Et Ecce Ego Tecum:* ac proinde non absurdè de spirituali & mystico adventu ea interlligi possunt.

§. XIII. (V.) *Ex huius presentia effectis:* Ex hac siquidem presentia fluit 1. *defensio*, quam h. l. firmiter Filius Dei Jacobo promisit: *Ero Tecum custos tuus, quocumq; perrexeris:* *Hebr. ita: וְשָׁמַרְתִּיךָ בְּכָל אֲשֶׁר תֵּלֵךְ* *custodiam te in omnibus quocumq; perrexeris.* Licet autem hic effectus videatur corporalis, tamen sciendum est, Christum quoq; sanctos suos & fideles, ab omni diaboli & mundi injurià, potenter defendere, *Psal. XCI. 14. Quoniam me desiderat, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamavit ad me & ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione:* *Hebr. ita: וְעִמּוֹ אֲנֹכִי בְּצָרָה* *Cum ipso Ego in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum* 2. *Reductio:* ducit enim & reducit suos fideles: Duxit ita Abrahamum: duxit Isaacum: duxit Jacobum: duxit Moysen: duxit Davidem, imò duxit, & adhuc ducit omnes sanctos, omnes fideles, licet interdum mirabiliter. 3. *Perpetua consociatio:* *nec dimittam te. donec complevero universa, quae dixi tibi.* Ubi notandum, quod particula *donec*, non certum ac definitum tempus indicet, quasi postea Jacobum sit derelicturus, sed ex scripturae phrasi significat indeterminatam & perpetuam continuationem, ut *Gen. VIII. 7. 2. Sam. VI. 23. Psal. CX. 2. Matth. I. v. ult. cap. V. 18. 26. 1. Cor. XV. 25. &c.* Hoc igitur hac voce ostenditur, Christum nunquam derelicturum Jacobum, sed perpetuò ipsi affuturum. Quae utiq; nihil aliud importare videntur, quam haec verba commodè, de spirituali & mystico Christi adventu, & appropinquatione, explicari posse. Haec cum ita omnia sese habeant, concludimus meritò, Filium Dei utiq; spiritualem suum & mysticum adventum promisisse Jacobo, & cum omnia, quae scripta sunt in nostram doctrinam scripta sint, nos etiam, fideli corde, propter has & similes promissiones, CHRISTUM nobis affuturum, nostra corda inhabitaturum, nos in omnibus custoditurum, nos in patriam coelestem reducturum, neq; nos dimissurum esse, donec

V. Ex huius presentia effectis:



donec compleverit omnia, quæcunq; dixit, credimus & speramus. Tantum de dictis ex Mose desumptis.

I. Esa. LXI.  
10.

I. Ex gaudii  
hujus condi-  
tione.

§. XIV. Cum Prophetarum scripta jam sint etiam examinanda, non sane ea omnia, quæ ex ipsorum libris, ad præsentem materiam facere videntur, testimonia allegabimus, sed tria præprimis laudabimus. *Primum* erit dulcissimum illud animæ fidelis canticum ex Esa. LXI 10 petitum: *Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me quasi sponsam decoratum corona & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Hæc quidem verba primo aspectu nullam videntur adventus Christi mentionem facere, si vero paulò diligentiori meditatione pensitentur, mirificè nostrum controversiæ statû confirmant & corroborant, id quod apparet. (I) *Ex gaudii hujus conditione:* datur quidem gaudium mundanum, de quo Christus inquit, Job. XVI. 20. discipulis suis: *Amen, Amen dico vobis: flebitis vos & lamentabimini, mundus autem letabitur.* Exultant enim impii in malitiâ & efferuntur prosperitate: sed tale gaudium non est verum, quia ob peccata & spes inanes concipitur: non est merum, quia dolore & metu subindè permiscetur: non est perpetuum, quia extrema gaudii occupat luctus, Prov. XIV. 13. sed est gaudium vanum, quia nihil reperitur in mundo, quod solidam & constantem gignat lætitiâ. Unde Hieron. dixit: *mundum si exenterari posset, ejusq; interiora penitus inspicere, præter fucum & inanes fallacias, nihil interius habiturum.* Quicquid enim habet, aut præteritum est, quod jam revera nil est: aut futurum, quod penitus incertum: aut præsens, quod ipsum inconstans, mobile & infirmum est. Hinc non immeritò hoc mundanorum hominum gaudium conferri solet pomis Sodomiticis, quæ foris maximam promittunt pulchritudinem, intus nil aliud fovent, quam sepulchrum quia cineres & favillæ sunt. Sive enim voluptates, sive opes, sive honores consideremus, ob quæ tria bonorum genera, homines mundani lætari, & sese efferre consueverunt, omnia vana, omnia caduca! Est impiorum gaudium breve & momentaneum, nam cum maximè lætentur, hinc exire jubentur: probat hoc

Jobus



Jobus cap. XX. 5, Laus impiorum brevis & gaudium hypocrita ad  
instar puncti: probat hoc dives Epulo Luc. XII. 20. probat hoc  
sapiientissimus Seneca lib. 6. Epl. 7. ad Lucil. scribens: Punctum  
est quod vivimus, & adhuc puncto minus. Hinc Gregorius in serm.  
Momentaneum est, quod delectat, aeternum, quod cruciat. Est im-  
piorum gaudium perversum & perniciosum quod enim venenum,  
est corpori, hoc voluptas animo. Prov. X. 23. Quasi per ri-  
sum stultus operatur scelus. Eccl. VII. 5. Cor stultorum, ubi latitia,  
Sap. II. 2. Dixerunt impii, cogitantes apud se non recte: Exiguum,  
& cum tedio est tempus vite nostrae: & non est refrigerium in fine  
hominis. v. 6. Venite igitur & fruamur bonis, quae sunt, & utamur  
creaturâ tanquam in juventute celeriter. v. 9. Ubiq; relinquamus  
signa letitiae nostrae, quoniam haec est pars nostra, & haec est Sors no-  
stra. Syrac. XXVII. 14. Narratio peccantium odiosa, & risus illo-  
rum in delictis peccati. Jacob. IV. 16. Nunc autem exultatis in super-  
biis vestris: omnis exultatio talis maligna est. Propterea etiam varia  
occurrunt in prophetis comminationes, de hac impiorum letitiâ  
& exultatione Esa. III. 16. seq. Pro eo, quod elevate sunt filiae Sion,  
& ambulaverunt & tento collo, & nutibus oculorum ibant plaudebant  
& ambulabant & pedibus suis composito gradu incedebant, de calceavit  
Dominus verticem filiarum, & Dominus crinem earum denudabit.  
In illâ die auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunu-  
las, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia.  
Cap. XXII 12. seq. Et vocabit Dominus Deus exercituum in illâ die  
ad fletum, ad planctum, ad calvitium & ad cingulum sacci: & ecce  
gaudium & latitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, & bibere  
vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Si dimit-  
tetur haec iniquitas vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus ex-  
cituum Conf. XXIV. 8. 9. cap. XXXII. 13. Item, Jerem. VII. 34.  
Quiesere faciam, inquit Dominus, de urbibus Juda, & de plateis  
Jerusalem, vocem gaudii, & vocem latitiae, & vocem Sponsi & vocem  
Sponse, in desolatione enim erit terra. Hos. II. 11. Cessare faciam omne  
gaudium ejus. Amos. VIII. 10. Festivitates vestras convertam in  
luctum, & cantica vestra in planctum Luc. VI. 25. Va vobis, qui ride-  
tis nunc, quia lugebitis & flebitis: nam quantum glorificavit se (scilicet  
D impius



impius) & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum Apoc.  
XVIII. 7. Tale est impiorum gaudium, sed non tale hoc, quod  
à prophetà introducitur, sed omni ex parte impiorum gaudio  
contrarium. Nam gaudium hoc est verum, partim quia est à  
Domino siquidem à Domino factum est istud, quod est mirabile in  
oculis nostris. Hec est Dies quam fecit Dominus, exultemus & late-  
mur in eà, Psal. CXVIII. 13. 24. Et hoc à Domino factum est, quod  
vox exultationis & salutis audiatur in tabernaculis iustorum, v. 15.  
partim quia fit in Domino: Gaudens gaudebo in Domino, in-  
quit h. l. Esaias: Idem David Psal. XXXIII. 1. Exultate iusti in  
Domino, v. 20. Anima nostra expectat Dominum, quoniam adiutor &  
protectior noster est: v. 21. quia in eo letabitur cor nostrum, & in  
nomine sancto eius speravimus. Psal. XXXI. 11. Letamini in Domi-  
no, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Psal. LXXXIV,  
3. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Phil. IV.  
4. Gaudete semper in Domino: partim quia fit coram Domino:  
Esa. 1X. 3. Letabuntur coram te, sicut qui letantur in messe: sicut  
exultant victores captà prædà, quando dividunt spolia Psal. XVI. 8.  
Posui Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mi-  
hi, non commovebor: Propter hoc letatum est cor meum, & exulta-  
vit gloria mea. Gaudium hoc est merum, id quod patet ex trinà  
repetitione: 1. Gaudens. 2. gaudebo. 3. exultabit anima mea: ex  
gaudii descriptione: quia est gaudium in Domino, ubi nullum  
peccatum, nulla etiam ex peccato profluens tristitia: ex verbi  
usurpatione: וְשִׂשְׂוֹן שִׂשְׂוֹן quod frequentius de gaudio Dei in  
sacris usurpatur, ut Deut. XXVIII. 63. שִׂשְׂוֹן כְּנֶשֶׁר quemadmo-  
dum gavisus est Dominus super vos, Esa. LXV. 19. וְשִׂשְׂוֹן בְּעַמִּי  
& gavisus sum in populo meo: Sic Esa. LXII. 5. hoc verbum de læ-  
ritià sponsi & Dei simul usurpatur, quando dicitur: וְשִׂשְׂוֹן  
וְשִׂשְׂוֹן עַל כִּלְיֵי יְשִׁישׁ עֲלֶיךָ אֱלֹהֶיךָ Et sicut sponsus gaudet  
super sponsam: sic & Deus tuus gaudebit super te: jam autem &  
Dei lætitia, & sponsi gaudium in eo conveniunt: ut nullum  
habeant dolorem admixtum, ita & nostrum gaudium merum  
& sincerum est. Est gaudium perpetuum: & partim quia est gau-  
dium



*diu in Domino*: Ut autem Dominus æternus est, ita gaudium hoc in omnem durat perpetuitatem; *partim* *continuitas* gaudii ipsa repetitione insinuatur: gaudens nimirum perpetuò, perpetuò gaudebo, & unum gaudium excipiet alterum: *partim* quia hoc gaudium nemo tollet à vobis: *Job. XVI. 22.* Iterum videbo vos, Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. & v. 18. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Non est gaudium vanum, quia solidam & constantem affert lætiti- am: quia gaudebimus, gaudendo gaudebimus & exultabit anima nostra: quia non versatur circa caduca & temporalia hujus mundi bona, sed circa incorruptibilia & spiritualia. Consistit enim hoc gaudium in agnitione Dei, summi boni, ex verbo divinitus præfacto haustà, *Psal. CXXII. 1.* in tranquillitate conscientie, *Rom. V. 1.* In *δοξολογία* perpetuà, quâ celebra- mus summa Dei beneficia: Non est gaudium momentaneum, quia durat in omnem æternitatem: nam est gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, ut lo- quitur *B. August. c. 35. soliloq.* Non est gaudium pernicio- sum, sed fructuosum, quia est gaudium in Domino, in quo omnia habemus, temporalia & æterna bona, quia induit nos vestimen- tis salutis, & indumento justitiæ circumdat nos, quasi sponsum de- coratum coronâ & quasi sponsam ornata[m] monilibus suis. Sicut enim terra profert germen suum & sicut hortus semen suum germi- nat, sic Dominus Deus germinabit justitiam & laudem coram uni- versis gentibus. Hoc autem gaudium cum sit spirituale, cum sit gaudium in Domino, non erit absq; Domino, & per conse- quens de Domini adventu certissimum nobis relinquit judi- cium. Cum enim extra Christum nil nisi timor, nil nisi mor- ros & tristitia, ob iram Dei gravissimam, ob legis maledicti- onem atrocissimam, ob Satanae tyrannidem crudelissimam, ob inferni pœnas horribilissimas, utiq; Christum hîc adesse oportet, ubi verum gaudium, ubi mesum gaudium, ubi perpetuum gaudium.

§. XV. II. Ex gaudentis descriptione: Sive enim hîc animam intelligamus fidelem, quæ ita gaudendo gaudet in Domino

D 2

II. Ex gau-  
dentis descri-  
ptione.



& exultat in Deo suo: sive intelligamus *Ecclesiam*, quæ h. l. videtur introduci, sicut inquit *Osiander super h. l.* Exaltabunda, & gratias agens Domino pro beneficiis, quæ per Christum exhibentur. Utrumque de adventu Christi mystico testatur: Anima enim fidelis non est, quam non Christus inhabitat, in qua non Christus maneat, *Eph. III. 17. Job. XIV. 23.* cum arctissimâ unione Christus cum fideli animâ sit unitus, eamque perpetuò incolat. Absint quidem hîc omnes carnales cogitationes, absit omne externorum sensuum iudicium. Cor fidele præsentiam sui hospitis percipit ex motibus illis, quos operatur in illo suo hospicio. Quâ de re pulcherrimè *Bernhardus serm. 74. in Cantic.* ita loquitur: Fateor & mihi adventasse verbum, in insipientiâ dico, & pluries. Cumque sæpius intraverit ad me, non sensi aliquoties cum intravit. Adesse sensi, affuisse recordor: interdum & præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam. Sed ne exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quove abierit denuò eam dimittens: sed & quo vel introierit, vel exierit, etiamnum ignorare me fateor, secundum illud: nescis unde veniat, aut quo vadat. Nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est, & vestigia tua non cognoscentur. Sanè per oculos non intravit, quia non est coloratum: neque per aures, quia non sonuit: Sed neque per nares, quia non aëri miscetur, sed menti; nec infecit aërem, sed fecit. Neque verò per fauces, quia non est mansum vel haustum. Nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Quia igitur introivit? an forte nec introivit quidem, quia non de foris venit? neque enim est unum aliquid ex his, quæ foris sunt &c. Quæris igitur, cum ita sint omninò investigabiles via ejus, unde adesse norim? Vivum & efficax est, moxq; ut intus venit, expergescit dormitantem animam meam, movit, & mollivit, & vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, & malè sanum. Cepit quoque evellere & destruere, edificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non & mittere prava, indirecta & aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini Sancto ejus. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum Sponsus, nullis unquam introitum suum indicis in-

note.



notescere fecit, non voce, non specie, non incessu: nullis denique suis motibus compertum est mihi, nullis meis sensibus illapsum penetrabilibus meis, tantum ex motu cordis, sicut prefatus sum, intellexi presentiam ejus, & ex fugâ vitiorum, corporaliumque compressione affectuum adverti potentiam virtutis ejus &c. Hæc ille. Nimirum ita cognoscimus sponsum nostrum advenisse, quando dulcissimos effectus in corde sentimus, nam ut idem Bernb. loquitur in jubilo: *Jesus Sole serenior, & balsamo suavior, omni dulcore dulcior, ceteris amabilior. Cujus gustus sic afficit, cujus odor sic reficit, in quo mens mea deficit, solus amanti sufficit. Tu mentis delectatio, Amoris consummatio: Tu mea gloriatio, Jesu, mundi salvatio.* Quando igitur gaudium hoc spirituale in corde suavissimam delectationem in mente excitat, Christus adesse cognoscitur, cum omnis effectus testetur de suâ causâ: Spiritualiter autem cum adesse colligitur; spiritualis ejus adventus hoc ipso stabilitur. Si vero hæc verba de Ecclesiæ exultatione sint accipienda, nullius plane difficultatis est, nostrum probare thema; cum Ecclesia nihil aliud sit quam congregatio fidelium, quæ igitur fidelium est conditio, eadem etiam Ecclesiæ: Ecclesia præterea corpus, non ἀνεφάλου & monstruosum, sed caput ipsi divinitus constitutum est, *Eph. I. 22.* Sicut igitur caput necessario cum corpore jungitur, ita etiam necessario vera Ecclesia cum Christo capite suo unitur: Sicut ea, quæ divinitus ordinata & constituta sunt, arctissimè & firmissimè consistunt: ita etiam Christus, qui à Deo constitutus est caput Ecclesiæ, penitissimè cum Ecclesiâ cohæret. Ecclesia est Sponsa Christi: Sponsus nusquam lubentius & frequentius vivit, quam in domo Sponsæ: Christus igitur nullibi & lubentius & frequentius versatur, quam in verâ Ecclesia.

§. XVI. III. *Ex gaudii hujus limitatione:* Est gaudium in Domino: Primum hic considerandum est: Quis sit hic Dominus, in quo nostrum fundatum est spirituale gaudium? Nemo alius quam Salvator Christus Jesus: extra eum siquidem mera est tristitia, merus timor, dolor, tremor & mœror: quia nos inquietos reddit peccatum, damnat legis rigor, accusat Sata-

III. Ex gaudii hujus limitatione.



(1.) Ex antecedentium consideratione.

2.) Ex verborum explanatione.

nas, terret infernus, & æternæ mortis appropinquatio. Sed si hunc Dominum invenerimus, habemus gaudium verum, gaudium firmum, gaudium perpetuum. Hinc pulcherrimè D. Bernhard. jubilam suum his verbis exorsus est: *Jesu dulcis memoria, dans vera cordi gaudia, sed super mel & omnia. Ejus dulcis presentia: Nil canitur suavius, Nil auditur jucundius, Nil cogitatur dulcius, quam Jesus Dei Filius. Jesu spes penitentibus, Quam pius es petentibus, quam bonus te quærentibus! sed quid invenientibus? Jesu dulcedo cordium, Fons vivus lumen mentium, Excedens omne gaudium, & omne desiderium.* Filium autem Dei per hunc Dominum (licet non excluso Patre & Spiritu S.) intelligendum esse, patet (1.) Ex antecedentium consideratione: non quidem hîc urgebimus versiculum statim primum hujus cap. LXI. in quo Messiam loqui, extra omnem dubitationis positum est aliam, cum hoc ipsum ostendant verba: *Spiritus Domini super me, ed quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut recederet contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis aperitionem:* probat etiam ipsius Christi allegatio & explicatio Luc. IV. 18. Sic & reliqui subsequentes versiculi, non nisi de N. Test. tempore veniunt intelligendi: neque etiam hîc prolixiori sermone scopum prophetæ in ultimis hisce capitibus explicabimus, siquidem ex ipso verborum sono facillimo negotio intelligitur, de Christo omnia & singula vaticinia explicanda esse: Sed unicum tantum illud citamus, quod proximè antecedit, de benedictione Jehovæ seu Domini: *isti sunt semen cui benedixit Dominus:* benedictio hîc citra dubium intelligitur spiritualis, quæ non nisi per Christum, in Christo, à Christo nobis contigit Gen. XII. 3. cap. XVIII. 18. cap. XXII. 18. cap. XXVI. v. 4. in quo benedictæ sunt universæ cognationes terræ: cum extra Christum omnes simus maledicti, maledicti quoad corpus, maledicti quoad animam, maledicti quoad corporalia, maledicti quoad spiritualia. (2.) Ex verborum explanatione: *gaudens gaudebo,* inquit Propheta vel anima fidelis apud Prophetam, *in Domino:* Pater quidem est Dominus, Spiritus S. est Dominus: hic tamen Dominus, in quo nos gaudemus, verè est Filius:



Filius: Hic enim non tantum est Dominus jure creationis & conservationis, sed etiam redemptionis: hinc peculiari modo dicitur Dominus, & distinguitur hac ratione à Patre *Rom. I. v. 8. Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino Jesu Christo,* non quidem ratione Deitatis, quia unum est cum Patre *Job. X. 30.* Sed propter redemptionem, quia sibi acquisivit servos, & Dominium in eos. Pater quidem & Spiritus S. etiam Dominus noster sunt ex jure redemptionis, quoad ejus ordinationem, & à Christo soluti acceptionem: at Filius, ratione meriti & acquisitionis, singulariter Dominus noster est: Pater enim & Spiritus S. non sunt mortui pro nobis: Explicatur hoc ipsum alterius: *Et exultavit anima mea in Deo meo. Deus meus, Deus tuus, Deus noster* itidem est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sed singulari tamen appropriatione Filius: quia ita & Patri, & Spiritui S. contra distinguitur *Deut. VI. 4. Psal. LXXII. 6.* est enim ita noster, ut jure consanguinitatis noster sit, quia est caro de carne nostra, & sanguis de sanguine nostro, est frater noster, est ~~hij~~ noster, est noster propter missionem, quia à patre missus est ad nos, propter nos; est noster propter incarnationem, quia sicut pueri commercium habent cum carne & sanguine, ita & ipse similiter particeps factus est eorundem. *Heb. II. 14.* est noster propter appellationem, quia dicitur Immanuel, Deus nobiscum, homo, Filius hominis, semen mulieris, fructus lumborum Davidis &c. est noster propter redemptionem, quia propter nos, & propter nostram salutem factus est homo, ut nos à legis maledictione, & ab æternâ condemnatione redimeret: est noster propter gratiosam inhabitationem, quia totus noster est, & nos toti sumus Christi.

§. XVII. (3.) *Ex causarum allegatione:* Gravissimas n. hujus gaudii causas allegat Propheta; quia, 1. induit nos vestimentis salutis. 2. operuit nos indumento justitiæ. 3. ornavit nos Sacerdotali ornatu. 4. sicut sponsam monilibus suis. Ex quibus sequentia colligimus argumenta: I. Quicumque fideles induit vestimentis salutis, ille hic intelligendus est Dominus: Sed Christus hoc facit. E. Majoris consequentia firma est ex textu: nam propterea gaudent pii in

(3.) *Ex causarum allegatione.*



in hoc Domino, quia ipsos induit vestimentis salutis. Minor facile probatur, quia ipse contrivit caput serpentis *Gen. III. 15.* ipse est Deus salutis, ut passim noster etiam propheta inculcat, ipse est salus noster nomine, quia dicitur Jesus, & re, quia salvat populum suum à peccatis *Matth. I. 21.* *Quia non in alio quocquam est salus: nec aliud nomen sub caelo datum est inter homines, in quo oporteat nos salvos fieri, Act. IV. 12.* II. *Quicumque Dominus nos indumento justitiae circumdedit, de colloquitur Esaias: Atque Christus hoc fecit, E.* Major itidem ex textu firma, Minor corroboratur ex Vet. & Nov. Test. *Est Jehovah justitia nostra, Jer. XXIII. 6. & cap. XXXVI. 14. factus etiam nobis est justitia, 1, Cor. I. 30.* tegit peccata nostra, operit nos pallio justitiae suae, & nos justos coram Deo constituit: Unde haec duo conjungit propheta *Zacharias cap. IX. 9.* Ubi primum hujus Domini adventum describit, & ad exultationem & jubilationem omnes fideles exhortatur, dicens: *Exulta satis, filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi JUSTUS & SALVATOR: Salvator secundum Esaiam h. l. quia nos induit vestimentis salutis: Justus vero, quia nos operit pallio justitiae.* III. *Quicumque Dominus nos ornat sacerdotali ornatu, in illo b. l. dicimur gaudere, Atque Christus nos omnes constituit spirituales & mysticos sacerdotes, quia sumus regnum sacerdotale, & sacerdotium regale, quia sumus genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, 1. Pet. II. 9. quia Christus fecit nos Reges ac sacerdotes, Apoc. V. 10. quia & infutura vita per Christum erimus sacerdotes Dei & Christi, regnabimus cum illo mille annis, Apoc. XX. 16.* IV. *Quicumque sponsam ornat montibus suis, illius b. l. fit mentio, Atque Sponsus hoc facit, E.* Major ex textu paset: Minor per se est manifesta: hoc enim officium solius sponsi est. Hic sponsus autem non est Pontifex Romanus, ut ipse quidem gloriatur, nulla siquidem sponsi conditiones ipsi conveniunt, non eligit sponsam, non diligit, non exornat, &c. & praeterea hic titulus ita proprius est Christo, ut nec Johannes Baptista illum sibi vindicare voluerit, *Job. III. 28.* Et nusquam in tota scriptura alius homo dicitur Ecclesiae sponsus, quam Christus, *Psal.*



*Psal. XLV. 12. Matth. IX. 15. 2. Cor. XI. 2. Eph. V. 32. Apoc. XXI. 2.* Solus igitur Christus Ecclesie Sponsus est, quia eam ornat & exornat monilibus suis. Nam hic Sponsus de ornamentis Sponsæ ipsemet loquitur *Ezech. 16. 9. lavi te aqua, & emundavi sanguinem tuum ex te, & unxi te oleo: & vestivi te discoloribus & calceavi te hyacyntho v. 10. & cinxi te bysso & indui te subtilibus (serico) v. 11. & ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, v. 12. Et dedi in aurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo, v. 13. Et ornata es auro & argento, & vestita es bysso, & polymito, & multis coloribus &c.*

**S. XVIII.** (4.) *Ex germinis comparatione*: Sicut enim aliis in locis Christus comparatur semini, germi, radici, surculo &c. Nam dicitur semen mulieris *Gen. III. 15.* Semen Abrahæ *Gen. XII. 3.* Semen Isaac *cap. XXVI. 4.* Semen Jacobi *cap. XXVIII. v. 14.* item fructus lumborum Davidis, semen Davidis, fructus ventris David, virga & surculus ex radice Jesse, **¶** *¶* germen, &c. quæ appellationes neque Patri primæ Trinitatis personæ, neque tertiæ Spiritui S. conveniunt, sed Soli Filio propter incarnationem tribuuntur: ita quoque h. l. germen illud f. Dominus Deus, qui germinat justitiam, nemo alius est, quam Filius Dei, qui gaudii hujus spiritualis, propter spirituales & mysticam suam appropinquationem & inhabitationem, in fidelium cordibus causa est. Et hoc gaudium, cum dicatur gaudium in Domino: exultatio in Deo vivo *Psal. LXXXIV. 3.* (cum Christus sit vita *ἡ ζωὴ* propter essentiam, *ἡ ζωὴ τῆς ζωῆς*, sicut enim Pater habet vitam in se, ita quoque dedit Filio habere vitam *Johan. V. 26. ζωὴν τῆς ζωῆς* quia nobis dat vitam naturalem *Act. XVII. 28.* vitam spirituales *Gal. II. 20.* vitam æternam *Johan. VI. 40. 47. 54.*) meritò inde colligimus, quod nos non procul absumus à Christo, neque procul Christus absit à nobis, sed sumus in Domino, sumus apud Dominum, sumus coram Domino, & in hoc Domino verè gaudemus, extra vero hunc Dominum nulla datur lætitia, mera tristitia, quia gaudium hoc efflorescit ex sensu gratiæ & favoris divini, quæ gratia in Solo Christo

(4.) *Ex germinis comparatione.*

E

est



est fundata, extra Christum nulli hominum contingere potest, unde non immerito ex hoc gaudio spirituali, de spirituali & mystico Christi adventu possumus esse certissimi.

II. Hof. II.  
v. 19, 20.

I. Ex desponsationis principio.

§. XIX. Secundo loco ex prophetis adducimus dictum. Hof. I. v. 19, 20. *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego sum Dominus.* Mysticum & spirituale dari adventum, probatur. I. Ex desponsationis principio: ex quo hac mystica desponsatio originem habet: *Et sponsabo, dicitur: verum a quo dicatur, hoc ex textu est colligendum: eandem vero personam in hoc versiculo loqui, quae in antecedentibus, duplici iudicio manifestum est: nam hic versiculus partim per copulativam ET, immediate cum antecedentibus conjungitur: & sicut in prioribus, sic etiam in hoc versiculo sermo in prima persona instituitur; partim pronomen Mihi, quod loco nominis praecedentis positum est, nos ad personam loquentem deducere videtur. Loquens autem hic non est alius, quam verus Jehova, illud non tantum ex capite primo est manifestum; cum quo hoc nostrum caput cohaeret, sed ex omnibus adhortationibus, comminationibus, promissionibus, aliisque praedictionibus in hoc capite occurrentibus aperte satis colligitur: imo bis expresse in antecedentibus praemittitur, *nim: v. 13. ibat post amatores suos, & mei obliviscetur, dicit Dominus, & v. 16. Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabit me, vir meus: Semel etiam subjungitur v. 21. Cum vero verus Jehova sit Deus, & Pater sit Deus, Filius Deus, & Spiritus S. Deus, videndum h. l., anne omnes tres divinitatis personae, an vero una harum sit intelligenda: omnes tres esse intelligendas facile probat, tum operis hujus conditio, cum enim sit opus ad extra, utique commune erit omnibus tribus personis, secundum regulam orthodoxae antiquitatis: opera ad extra sunt indivisa, & hinc toti Trinitati communia: tum trina verbi desponsandi repetitio: *Sponsabo te mihi in sempiternum: Sponsabo te mihi in justitia & iudicio &c.: Sponsabo te mihi in fide: quam trinam repetitionem ad SS. Trinitatis mysterium respicere Interpre-***



terpretes affirmant, textus non reclamatur, materia subjecta confirmat, & Spiritus S. in aliis Scripturæ locis concordat. Ut *Genes. 1. 27.* in mirandâ hominis creatione trina notata est verbi *Creandi* repetitio, ut omnium trium personarum creatio notaretur: Et *Creavit* Elohim hominem in imagine suâ, in imagine *וְיָצַר אֱלֹהִים אֱדָם מִטֶּלְלָא אֲדָמָה* creavit eum: masculum & feminam creavit eos. Quæ verba *B. Dn. D. Jacob. Mart. in Part. d. 6. thes. 3.* sequentibus explicat: *Hoc est quod ter repetit verbum creandi in unico hoc textu Moses, quod non putemus vel frustra, vel ornatus alicujus causa fieri: plura certe mysteria latent in verbis divinarum scripturarum, ut non sine causâ jusserit Christus, ut scripturas non superficialiter legamus, sed ut eas scrutemur. Nam singula ibi verba, sunt singula pondera. Quocirca nulli dubitemus, quin Moses trinâ hâc verbi creandi repetitione docere voluerit, hominem non à Patre solum creatum fuisse, verum etiam à Filio & Spiritu S. Ut enim ad nostri recreationem semper concurrunt & simul operantur: Pater mittit Filium, Filius fundit sanguinem & peccata expiat, Spiritu S. regeneramur, & beneficium Christi nobis applicatur: ita etiam ad nostri creationem omnes simul operati sunt. Hæc ille. Hinc colligimus, non dicis gratia dictum esse: Creavit: Creavit: Creavit. Sed hunc esse legitimum verborum sensum: Creavit Deus Pater: Creavit Deus Filius: Creavit Deus Spiritus Sanctus. Idem quoque ut asseramus, de summo hujus mysticæ desponsationis mysterio, pulcherrima verborum connexio postulare videtur: Ideo merito ingeminamus verba *Venerandi nostri Senioris pie mem:* Hoc est quod ter repetit verbum *desponsandi* in hoc unico textu *Propheta:* quod non putemus vel frustra, vel ornatus alicujus causâ fieri, plura certè mysteria latent in verbis divinarum scripturarum, ut nō sine causâ jusserit Christus, ut scripturas non superficialiter legamus, sed ut eas scrutemur. Nam singula ibi verba, sunt singula pondera. Quocirca nulli dubitemus, quin *Hoseas* trinâ hâc verbi *desponsandi* repetitione docere voluerit, hominem & cum Patre, & cum Filio, & cum Spiritu S. desponsari, quasi diceret: Ego Deus Pater desponsabo te mihi: Ego Deus Filius desponsabo te mi-*



hi: Ego Deus Spiritus S. desponsabo te mihi. Ut enim in nomine SS. Trinitatis, Patris, Filii & Spiritus S. baptizamur, ita etiam cum totâ SS. Trinitate desponsamur, cum actio baptismi nihil aliud sit, quam mystica quædam desponsatio. Tum hoc ipsum probare videtur *textus & antecedentis & consequentis consideratio*, in quo & Pater, & Filius, & Spiritus S. cum Israëlitis contendit, & varias tum adhortationes, tum comminationes, tum promissiones ipsis proponit: *Tum fidei analogia*, quæ ex variis *reptis* nostram cum Deo i. e. Patre, Filio & Spiritu Sancto, communionem demonstrat & confirmat. Quamvis igitur *Hiæronymus* statuat Deum hanc trinam repetitione respicere ad trinam desponsationem cum Abrahamo ante legem, cum Mose sub lege, cum Christo post legem factam: quamvis etiam non negemus secundum Alios, eadem trinam repetitione fœderis mysticique conjugii certitudinem innui, ut omnis dubitandi causa per toties asseverationem iteratam removeatur: interim tamen priorem sententiam ob antea datas causas minimè improbare possumus. Hisce præmissis jam certò statuimus dari adventum Christi mysticum: Nam si tota SS. Trinitas cum animâ fidei desponsatur: sequitur etiam secundam personam Filium sc: advenire. Atqui verum prius. Ergo. Deinde minimè absurdum esset, licet affirmaretur hoc in dicto, potissimum haberi respectum ad Filium; idque ex multis argumentis potest confirmari: *partim ex antecedentibus*: nam v. 2. dicitur *Synagoga Israelitarum uxor hujus Jehova fuisse, cui repudium dat, & non amplius vult appellari vir ejus. v. 3. minatur ei: Ne fortè exspoliam eam nudam, & statuam eam secundum diem nativitatis sue, & ponam eam in solitudinem*: unde non obscure colligitur eum exspoliaturum Israëliticam Ecclesiam, qui ornavit eam: Nam Synagoga hæc fuit instar puellæ, quæ concepta est in Israël: gestata tanquam in utero in Ægypto, nata in egressu ex Ægypto: educata in deserto: ducta in uxorem ad montem Sinai: introducta ut Sponsa in domum, in terram Canaan, vestita & ornata expulsis gentibus: Jam autem nemo alius hæc omnia fecit quam Filius Dei, Angelus ille magnus, magnus Jehova, qui



qui toties apparuit Patriarchis, qui Israelitas ex Ægypto vocavit, per desertum deduxit, & summis beneficiis exornavit, sicut supra est demonstratum. *Conf. v. 14. Propter hoc ecce ego blandis verbis persuadebo iam*: quæ verba non Patri irato, sed Filio redemptori convenire videntur: *Item v. 16. itidem dicitur vir hujus Sanagoga: Partim ex ipsis verbis: Sponsabo te mihi*: inquit Jehova: hæc desponsatio autem non nisi Filio immediate convenit: Patri vero & Spiritui sancto mediante Filio: cum fons & origo, ipsumq; fundamentum, ut omnis nostræ redemptionis & salutis, ita etiam mysticæ desponsationis sit Filius: *Idem quoq; confirmant hujus mysticæ desponsationis conditiones: in justitiâ: in judicio: in misericordiâ: in miserationibus: & in fide*: quæ omnia immediate Filium respiciunt: *partim ex consequentibus: v. 24. dicit hic Jehova: Dicam non populo meo, populus meus es tu: & ipse dicet Deus meus es tu*: in quibus præter id, quod Propheta manifestò loquitur de temporibus Nov. Test. & hoc notandum, quod longè arctiori vinculo sumus juncti Filio quam Patri, & meliori jure dicimur, etiam populus ejus, cum ipse nos redemerit, & ex inferno liberaverit, ut supra itidem est explicatum. Ex quibus itidem apparet, cum, licet non excludatur Pater & Spiritus sanctus, tamen singulari modo respectus ad Filium habetur, Filii adventum ex hoc loco facile evinci.

§. XX. *II. Ex desponsationis termino*: hic indicat summum Christi amorem; ea autem, quæ diligimus, non fugimus, sed eorum præsentiam semper exoptamus, imò quo major dilectio, eò ardentius est desiderium. *II. Ex desponsationis termino.* Cum igitur nos summo amore complectatur Christus, utiq; & vult, & potest nobis suam præsentiam semper exhibere: vult quia sponsus est: potest, quia Deus est: indicatur præterea arctissima nostri cum Christo conjunctio: ii enim, qui desponsati sunt non amplius disjuncti sunt, sed conjuncti, conjuncti quoad animam, ut sint unus spiritus, ut sit idem velle & idem nolle; conjuncti quoad corpora, ut sint una caro *Gen. II. 24. Ita & Christus conjungitur nobiscum, partim ratione spiritus, quia suum nobis spiritum communicat,*



& nostrum suo conjungit, & ita sunt ambo unus spiritus, I. Cor. VI. 17. *partim ratione carnis*, tum personaliter, quia Christus nostram naturam assumpsit, adeoque per incarnationem sibi desponsavit: *partim mysticè & spiritualiter*, quia habitat in mortali nostro corpore, illud sanctificat, regenerat, ab omni injuriâ Diaboli, & pravâ concupiscentiâ defendit. Et quid multa dicam? omnia sponsi requisita in hoc ipso latent vocabulo: sicut enim sponsus suam sponsam, non tantum intimè amat, eamque arctissimè sibi conjungit, sed etiam pro virili ornat, de necessariis prospicit, sollicitè defendit, in domum suam introducit, omniumque bonorum participem reddit: ita quoque Christus mysticus Ecclesiæ sponsus eam sibi arctissimè conjungit, intimo amore prosequitur per gratiosam inhabitationem, eam curat, ornat, regit, & tandem in cœlum gloriosam nuptiarum domum introducit, æternâque beatitudine donat. Quæ omnia nihil aliud, quam adventum & præsentiam Christi corroborare satis firmiter poterunt. *Idem quoque, ex utroque desponsationis extremo*, quia dicitur: desponsabo Te Mihi, *Ex firmissimo & constantissimo desponsationis vinculo*, quia est desponsario æterna: & *ex omnium conditionum naturâ*, quia fit in justitiâ, in judicio, in misericordiâ, in miserationibus, & infide hæc desponsatio, abundè satis explicare proclive esset, nisi reliquorum dictorum analysin futura tractatio nobis in mentem revocaret, adeoque hîc pedem figimus, & ad tertium hujus classis dictum nos breviter convertimus.

III. Zephan.  
III. 16. 17.

§. XXI. Ultimum hujus classis testimonium nobis supeditabit Zephanias cap. III. 16. 17. *In die illâ dicetur Jerusalem: Noli timere Sion: non dissolvantur manus tue. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse salvabit, gaudebit super te in latitiâ, silebit in dilectione tuâ, & exultabit super te in laude.* Hic ante omnia monemus, nos minimè reclamare, quo minus quædam hujus textus commata ad primum Christi adventum applicentur, adventus enim incarnationis & spiritualis non sunt sibi invicem contrarii, sed subordinati, cum iste hujus causa, hic vero illius effectus sit: interim tamen hic locus magis de spiri-  
tuali



tuali agere videtur, id quod probatur. 1. *Ex appellatione*: 1. *Ex appella-*  
 quia est adventus prædicationis, v. 9. **וְעַמִּי לֵבָבִי בְרוּרָה** *tionem.*  
**וְעַמִּי לֵבָבִי בְרוּרָה** *tunc convertam ad populos labium electum.*  
*Luth.* ita reddidit: Alsdann wil ich den Bölckern anders predi-  
 gen lassen mit freundlichen Lippen. Est igitur adventus prædica-  
 tionis, qui alias cum nostro idem esse censetur. 2. *Ex populo* 1. *Ex populo-*  
*rum mentione*: Adventus primus factus tantum ad Judæos, & *rum mentio-*  
 propterea non ad populos, sed ad unum certum populum, in *ne.*  
 quo & ex quo Messias nasciturus, & à quo etiam passurus erat:  
 sed in hoc adventu Deus se non convertit ad populum unum, sed  
 multos, id quod patet ex plur. numero **וְעַמִּי לֵבָבִי** *ad popu-*  
**וְעַמִּי לֵבָבִי** *los convertam labium electum.* 3. *Ex præmissâ ad lætitiâ spiritu-*  
*alem adhortatione*: v. 14. *Exclama præ lætitiâ, ô Filia Sion, jubila* 3 *Ex præmis-*  
*Israel: latere & exulta in omni corde, Filia Jerusalem: talis au-* *sâ ad lætitiâ*  
*tem lætitiâ spiritalis non oritur ex externo, sed ex interno,* *spiritalem*  
*non ex oculari, sed ex fideli Christi aspectu; si enim ex externo* *adhortatione*  
*Christi aspectu hæc orietur lætitiâ, sequeretur ob incarnatio-*  
*nis corporalem adventum, omnes sacerdotes, omnes scribas &*  
*pharisæos lætitiæ hujus spiritalis compotes fuisse, quod tamen*  
*falsum: ille enim non receperunt, sed rejecerunt Christum:*  
*non in eum crediderunt: sed in eum contumeliis, persecutio-*  
*nibus, calumniis & accusationibus sævierunt. Si igitur de læ-*  
*titiâ hîc spiritali sermo est, quæ oritur ex spiritali Christi ad-*  
*ventu, de hoc etiam adventu hunc locum intelligendum esse* 4. *Ex objecti*  
*nemo negare poterit. 4. Ex objecti consideratione: In die illâ* *consideratio-*  
*dicetur Jerusalem inquit propheta: Jerusalem in scripturâ nobis* *ne.*  
*triplex describitur: prima est terrestris & externa, metropolis*  
*Israelitarum, sedes templi, & veri cultus divini: altera est spi-*  
*ritualis & interna, quæ est regnum Dei mysticum, quod sibi*  
*colligit hoc in mundo, per verbum & sacramenta, nimirum ve-*  
*ra Ecclesia, animæ fideles: tertia est ælestis & æterna, quæ est*  
*civitas ἀχερπολίτις, in cœlis reposita, Quod hic prima ac-*  
*ceptio inveniat locum quodam respectu videtur posse concedi,*  
*omni tamen respectu esse ita intelligendum negatur. Nam*  
*licet his, qui fideles erant, hoc dictum fuerit: Noli timere: ta-*  
*men*



men paucissimi, tempore Christi & Apostolorum, erant incolæ Hierosolymitani, quibus hoc dici poterat: post Apostolorum vero tempora penitus nulli, cum Hierosolyma penitus sit destructa: cum etiam, non nisi ob respectum ad veram Ecclesiam, hisce hæc prophetica concio applicari potuerit, magis altera significatio videtur locum invenire. Accedit & hoc, quod à potiori fiat denominatio: cum igitur omnes ferme, vel ad minimum plurimi, qui incolebant terrestrem Hierosolymam, fuerint impii, quibus hæc verba: *Noli timere*: Non possunt applicari, facile apparet, quod de externâ & terrestri Hierosolyma, hoc vaticinium non sit intelligendum. Idem quoq; facile de tertia acceptione probamus: cum enim hic ad lætitiã adhortatio proponatur à prophetâ: in vita autem æternâ nullâ opus futura sit adhortatione, sed ibi jugis, & perpetua lætitiã sine tristiã: cum etiam à timore nos revocet Zephanias, nec timor ullum locum in felicissimo beatitudinis statu reperiat: Cum etiam à dissolutione manuum dehortetur, quæ itidem nulla sit in futura vitâ, apparet eum de coelesti, & æternâ Hierosolymâ non sermocinari: remanet igitur sola secunda, de spiritali & internâ Hierosolymâ, cujus essentialis constitutus est spiritalis & mysticus Christi adventus, qui hinc facile probari potest. Easdem quoq; significaciones habet mons Sion, qui sumitur *partim* pro monte Sion: *partim* pro Ecclesiã: *partim* pro coelesti curiã: eandem igitur cum Jerusalem admittit quoq; tractationem, eodemq; modo adventum Christi spiritualement confirmat. *s. Ex timoris remotione*: timor non aufertur per incarnationis adventum: timor erat in Herode *Matth. II. 3.* timor in omni Hierosolymâ, timor in sacerdotibus & pharisæis *Job. XI. 47. 48.* timor in Josepho *Matth. I. 19. 20. c. II. 21.* timor non aufertur per adventum Majestatis, cum timor & tremor omnes tum occupaturus sit impios, omnes hypocritas, omnes Diabolos: per solum igitur adventum gratiosum Christi hic timor tollitur, & vera in Deum fiducia cordibus nostris confertur: Cum vero timor hic auferatur, utiq; hic effectus potentissimus de suâ causâ testabitur, & ad-

ven-

*s. Ex timoris remotione.*



ventum Christi gratiosum confirmabit. *6. Ex fortitudinis collatione: Non dissolvantur manus tue.* Si unquam, certe tempore incarnationis Christi manus Hierosolymitanorum civium, omniumq; Judæorum fuerunt dissolutæ: nam sceptrum de Judâ sublatum, *Gen. XLIX. 10:* Synedrium per Herodem extinctum, omnis populus in miserrimam servitutem per Romanos deductus: dissolutæ igitur erant manus, & indices magis magisq; dissolvebantur, donec penitus omnes suas vires amitterent: Spirituum igitur Hierosolymitanorum, propter spirituale Christi adventum, manus non dissolvuntur, sed corroborantur: Corroborantur adversus diabolum, cui die ac nocte resistunt: corroborantur, adversus legis maledictionem, quam propter summam, in perfectissimam Christi obedientiam, fiduciam profulgure ex pelvi reputant: corroborantur adversus peccatum, cui quotidie moriuntur, ut Christo vivant: corroborantur adversus mortem, quam vili pendunt, cum nil nisi janua sit ad æternam beatitudinem: corroborantur adversus infernum, & æternam damnationem, à quâ per Christum penitus redempti sunt. *7. Ex Domini descriptione: Dominus Deus tuus:* quia Deus noster est E. etiam nobiscum est: venit ad nos: venit in nos; venit pro nobis. *8. Ex Domini habitatione:* quia est in medio nostri; conjungit se nobis, habitat in nobis, efficaciter operatur in nobis. *9. Ex salutis promissione:* Illa autem oritur ex spirituali Christi adventu, in quo non est nuda acquisitio, sicut in incarnationis adventu: sed simul efficax applicatio & obsignatio, adeoq; veræ salutis communicatio. *10. Ex letitiæ Dominicæ conditione:* quæ non oritur nisi ex nostra cum Christo conjunctione: sicut enim nostrum oritur gaudium & exultatio, ex spirituali cum Christo unione: sic & Christi gaudium oritur ex spirituali cum fidelibus communionem: quæ semper spiritualem ejus adventum, per legitima adhuc deputata media, præsupponit.

§. XXII. Hastenus priores duos V. T. ordines consideravimus, restat adhuc ultima ex hagiographis desumpta classis, ex quibus testimonii loco allegamus. I. Psal. XLV. cujus sta-

*6. Ex fortitudinis collatione.*

*7. Ex Domini descriptione.*

*8. Ex Domini habitatione.*

*9. Ex salutis promissione.*

*10. Ex letitiæ Dominicæ conditione.*

*I. Psal. XLV.*

E

cim



*tim inscriptio nostrum institutum comprobatur, nam dicitur Psal-*  
*m9, quod sit Eruditivum amatorium, sic dictum, quia describit*  
*amores Christi & Ecclesiae: Est enim hic Psalmus Epithalami-*  
*um, compositum in honorem Christi, qui Ecclesiam sibi per fi-*  
*dem desponsavit, unde pulcherrimam, inter hunc Psalmum*  
*& Canticum Canticorum, harmoniam conspiciere licet apud*  
*Gerhard. in Praefat. Cantic. cap. 5. de qua harmonia Theodoretus*  
*in Praefat. super Cant. pulchre ita scribit: Arbitror sapientem Sa-*  
*lomonem a Patre (utpote Prophetam ac magno quidem Prophetam) edo-*  
*ctum hac conscripsisse. Audierat enim omnino illum ita canentem.*  
*Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varia-*  
*te. Per Regem igitur, hoc in Psalmo, nemo alius intelligitur*  
*quam Rex Regum, & Dominus dominantium Apoc. XIX. 16.*  
*Christus Jesus Dei & Mariae Filius, totius generis humani re-*  
*demptor & Salvator, qui sanguine suo sibi, tanquam charissi-*  
*mo precio, acquisivit Sponsam, nimirum veram Ecclesiam,*  
*quae dicitur hoc in Psalmo Regina & Regis filia. Dilexit au-*  
*tem Rex Reginam, non amore vulgari, sed singulari, sicut hoc*  
*explicat Bernbardus super Cant. Serm. 20. ita scribens: Dilexit nos*  
*Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quando*  
*carnem induit: Sapienter, quia culpam cavet: fortiter, quia mor-*  
*tem sustinuit. Cum autem, in quantum quisque amat, in tan-*  
*tum ad amatum appropinquet, facile apparet, Regem hunc*  
*proxime & arctissime suae Reginae s. verae Ecclesiae associari,*  
*quia arctissime amat, & super omnia abundanter eam diligit.*  
*Deinde dicitur statim v. 1. Eructavit cor meum, verbum bonum*  
*וּבְרָרָהּ verbum pulchrum, praclarum, eximium, singula-*  
*re, quale nondum erat auditum, neq; in Sacris annotatum:*  
*dicitur autem canticum pulchrum, quia de pulcherrimo inter*  
*filios hominum agit, de pulcherrimo Rege & Salvatore no-*  
*stro Christo Jesu: dicitur praclarum, quia de hoc Rege agit, qui*  
*omnes alios claritate & excellentia superat, quantum coelum*  
*terra distat: dicitur eximium, quia de eximio canit, qui solus*  
*exemptus ex communi hominum sorte, אֲנִי אֶלֶּהֶם est & אֲנִי אֶלֶּהֶם,*  
*cum omnes reliqui sint peccatores: dicitur singulare, quia de*



de singulari inter Deum & homines, inter creatorem & creaturas, inter supremum & infimum amore tractat. Tandem totus hic Psalmus perpetuam Regis & regni, Regis & Reginae relationem continet: cum autem relata sint simul, & nullus Rex sit absque suo regno, nec Regina absque Rege, sequitur, quod etiam per totum hunc Psalmum praesentia hujus Regis in regno suo, nimirum in fidelibus, stabiliatur: nam statim v. 1. dicit David: *Dico ego opera mea Regi: qui Rex, cum sit verus Rex, nullibi nisi in regno erit, quod regnum non est externum & corporale, sed internum & spirituale, nimirum vera Ecclesia, & quaelibet anima fidelis. Sic & v. 3, 4. de regimine agitur: Accingere gladio tuo super femur tuum, o heres & c. quae itidem Regis praesentiam confirmant. Praeprimis autem notetur v. 10. Adstitit Regina à dextero tuo in vestitu de aurato, circumdata varietate, v. 11. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui. v. 12. Et concupiscet Rex decorum tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabis eum. Item v. 14. Omnis gloria Filiae Regis ab intus, de capsulis aureis est vestitus ejus. v. 15. in acupictis adducitur ad Regem. & c. Haec omnia si considerare, & mystici conjugii proprietates & effecta paulò accuratius evolvere possemus, sane non deessent argumenta satis multa, satis firma, quibus nostra quaestio abunde confirmaretur: sed cum nec ratio instituti, nec reliquorum dictorum series hoc admittat, filum rumpimus, & ad alia accedimus.*

**S. XXIII. II. Prov. IIX. 31. Delicia meae sunt esse cum filiis hominum:** Dulcissima sunt haec verba, imo melle dulciora, si consideramus, quis hic loquatur? qui non est alius quam Filius Dei, Sapiencia Dei, id quod apparet statim ex v. 1. *Numquid non Sapiencia clamitat, & prudentia dat vocem suam:* quod enim haec Sapiencia non sit attributum divinum, sed sit Sapiencia *humana*, ex variis iisque non futilibus & inutilibus argumentis, ex ipsius textus visceribus, desumptis, confirmari posset, si instituti nostri ratio hoc ipsum admitteret: saltem jam hoc ipsum praesupponimus, quod non nisi Filius Dei sit intelligendus,

II. Proverb.  
VIII. v. 31.



dus, & nostra verba perpendimus, quæ haud obscure nostram  
 quæstionem, statim in frontispicio disputationis, propositam  
 corroborant. Non quidem negamus, hæc verba ad primum  
 etiam incarnationis adventum applicari posse, sicut sæpius fit  
 à nostræ religionis etiam Theologis, ita enim scribit D. Selne-  
 cærus: *Verissima est Augustini regula, quod opera ad extra sint indivi-  
 sa: si addatur, servatâ cujusque persone proprietate, quâ persone in-  
 ter se discernuntur. Pater non assumit humanam naturam, quia Pa-  
 ter est persona gignens: Filius assumit humanam naturam, quia pro-  
 prium Filii est nasci: cumque sit æternus Filius Dei, sit etiam Filius ho-  
 minis, & æterna Patris imago conjungit se humane nature ad ima-  
 ginem Dei condita: sicut scriptum est: Prov. 11X. 31. Deliciae meae sunt  
 esse cum Filiis hominum.* Hæc ille. Ex quibus aperte satis col-  
 ligitur, hæc verba de incarnationis mysterio esse explicata.  
 Verum enim vero, sæpius hoc inculcavimus, & adhuc incul-  
 camus, hos duos adventus non esse contrarios, sed subordina-  
 tos & ita arctissime conjunctos, ut non possint nec debeant di-  
 velli, cum incarnationis adventus sit causa hujus nostri ad-  
 ventus, & iste nihil profit sine spirituali: Beati enim qui non  
 vident, & tamen credunt *Johan. XX. 29.* probamus igitur no-  
 strum adventum.

**I. Ex Empha-  
 tici vocabuli  
 usurpatione.**

§. XXIV. **I. Ex Emphatici vocabuli usurpatione:** *ἡ ψυχή* de-  
 licia mea, inquit Filius Dei: derivatur hæc vox à Radice *ψυχή*,  
 quæ significat, respexit, attendit, & consequenter oblectavit se in  
 re aliquâ: *LXX*, notante Eliâ Huttero in *Lexico*, variè hanc vocem  
 exposuerunt, nostram vero significationem augent, quando  
 redd. *Gen. IV 45* ἐπειθεῖν aspicere & ἀεγσεχεῖν attendere. *Esa.*  
*XXXI 1.* ἀκχεῖν audire. 2. *Sam. XXII. 42.* ἀναβοᾶν acclamare.  
*Psal. CXIX. 117.* μελετᾶν meditari. *Exod. V. 9.* μεσημῆραν sollicitum  
 esse. *Esa. XLI. 23.* ἰουμάζειν: nam ex his apparet, quales sint de-  
 liciæ Filii Dei, nimirum quæ oriuntur ex diligentissimâ men-  
 tis consideratione, & assiduâ visione, ex frequenti auscultatio-  
 ne, ex dulcissimâ allocutione, ita quidem, ut maximâ cum sol-  
 litudine sint conjunctæ, adeoque summâ admiratione di-  
 gnissimæ: hi sunt fomites illi deliciarum: sane ex internâ  
 mentis



mentis rei cuiusdam consideratione, maximæ oriuntur delicia, summa voluptas. Videmus hoc in Davide *Psalms CXIX. 20.*

*Contrita est, inquit, anima mea, præ desiderio iudiciorum tuorum in omni tempore. v. 24. nam testimonia tua sunt gaudium meum: tanto autem desiderio desideravit iudicia Domini, ut summo angore ea custodiverit. v. 28. Angitur anima mea præ solitudine, erige me iuxta verbum tuum: & omnibus rebus preciosissimis alias præposuerit. v. 72. Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti: imò tanto ardore, tanto fervore dicebatur totus, ut ne quidem unicum in hoc toto Psalmo, qui tamen omnes reliquos longitudine suâ superat, versiculum, sine verbi mentione, absolvere potuerit: videmus igitur, quantas delicias excitare valeat interna mentis consideratio: idem quoque præstat externa visio, & maximæ delectationis origo est, sicut patet ex exemplo Evæ *Gen. III. 15.* & innumeris aliis: imò quotidiana hoc docet experientia, quod ea diligentius & frequentius conspiciantur ab hominibus, quæ in deliciis ipsis sunt: eadem etiam experientia docet, quod maxima, ex hoc frequentiori aspectu, oriatur delectatio: idem valet de auditu, quando enim ea audimus, quæ pulchra sunt, quantus ibi amor se insinuat cordi, menti & omnibus aliis membris: sic & allocutio fomenta deliciarum suppeditat, & reliqui modi, quorum antea mentio est facta: omnia illa h. l. conjunguntur, & quidem non in inferiori, sed longè superiori gradu: geminatur enim radix מַיִם in voce מַיִם מַיִם, ac proinde nihil de summo amore Filii Dei erga genus humanum, in hâc imbecillitate balbutire possumus, sed potius exclamamus cum *Bernhardo*, & nostram ignorantiam, nostram in dicendo, & describendo amore Christi infantiam, toto ore pronunciamus: *Amor Jesu dulcissimus, Et verè suavissimus, Plus millies gratisissimus, Quam dicere sufficimus! Hoc probat ejus passio, hoc sanguinis effusio, per quam nobis redemptio datur, & Dei visio: Et paulò ante: Nec lingua valet dicere, Nec litera exprimere, Expertus potest credere, Quid sit Jesum diligere.* Credere igitur quodammodo possumus, exprimere vero nullo modo valemus, quantus sit amor Dei, cum Deus ipsa sit charitas*



ritas, i. Job. IV. 16. Hæc omnia cum ita sine, quomodo solus  
externus, & non potius internus Christi adventus insinuaretur?  
certè non obscure ex dictis patet, quod deliciae hæ sunt internæ  
& intimæ: quales autem deliciae, talis etiam adventus: Atqui  
deliciae sunt internæ; ergo internus, mysticus, spiritualis adven-  
tus etiam in his verbis nobis proponitur.

**II. Ex delici-  
arum confi-  
deratione.**

§. XXV. II. *Ex deliciarum consideratione*: Varii enim sunt  
gradus, ex quibus vera delectatio, tanquam ex vero fonte, pro-  
manat, inter quos etiam ipse adventus continetur. Primus  
est rei cognitio: ignoti siquidem est nulla cupido, nulla etiam  
ex ignotâ re oritur delectatio, sed rem cognoscamus oportet,  
si eâ animam nostram pascere velimus. Cognitionem sequitur  
visio, si enim rem novimus visionem ejus exoptamus: visionem  
excipit dilectio? videndo autem pulchritudinem ejus consi-  
deramus tamdiu, usq; dum se amor & delectatio, pectori nostro  
tacitè se insinuet: dilectionis vestigia premit appropinqua-  
tio seu accessio: accedere enim solemus ad rem cognitam,  
visu pulchram, & nobis dilectam: quibus omnibus subjungi-  
tur tandem conjunctio s. cohabitatio. Res exemplo erit cla-  
rior: Eva fructum cognovit: vidit: dilexit: acces-  
sit ad arborem, ibiq; commorando comedit, & si res bona fu-  
isset, sicut serpentis suavis edocta erat Eva, absq; dubio ibi etiam  
permanisset. Ita videmus, quod notitiam sequatur aspectus:  
aspectum affectus: affectum (si sunt creaturæ rationales) affa-  
tus: affatum adventus, quibus omnibus subjungitur ipsa co-  
habitatio. Adventum igitur, nemo negare poterit, ex his ver-  
bis posse demonstrari, quod autem talis sit, nimirum spiritualis,  
facile probatur: Qualis enim Christi aspectus, affectus & affa-  
tus, talis etiam adventus: Atqui illi actus tantum sunt spiri-  
tuales. Ergo. III. *Ex objecti descriptione*: אָדָם בְּנֵי אָדָם  
*cum filiis hominum*: Nota est alias illa distinctio inter אָדָם &  
אָדָם בְּנֵי אָדָם: hæc quidem vocabula unam habent significationem  
quia nihil aliud significant quam hominem, re ipsâ igitur con-  
veniunt, sed statu differunt, siquidem unumquodq; diversum  
hominis statum indicat: illud quidem statum integritatis, cum  
primus homo statim post creationem suam, in statu integritatis  
appel-

**III. Ex obje-  
cti descriptio-  
ne.**



appellatus sit **דָּרְנָ:** hoc vero statum corruptionis, quia ho-  
mo sic dicitur, propter mortiferam aegritudinem, & omnis  
generis dolores, adeoq; statum miserrimum, quæ omnia lapsum  
sunt insecuta, à Radice **דָּרְנָ** agrum esse, aegritudine affici.  
Non igitur dicit Filius Dei **דָּרְנָ** quia nulla est communio  
Christi & Belial, 2. Cor. VI. 14. 15. neq; sapientia habitat in a-  
nimâ peccaminosâ, Sap. I. 4. **דָּרְנָ** autem sunt homines cor-  
rupti, immundi, de immundo semine concepti, Psal. LI.  
7. in peccatis concepti & nati, naturâ filii iræ, Ephef. II. 3.  
sed **דָּרְנָ יְבִי רָנָ** cum filiis hominum, quatenus ad integri-  
tatem illam, in quâ primus homo conditus erat, regenerantur  
& renovantur. Jam autem ista regeneratio & renovatio est  
spiritualis, adventus igitur spiritualis itidem est intelligendus.

§. XXVI. IV. *Ex omisâ objecti determinatione*: Non  
enim restringit has suas delicias ad ea solum tempora, quibus  
in carne vixit propriâ Filius Dei: neq; ad certum populum,  
nimirum Israelitas, ad quos, tanquam ad perditas oves domus  
Israel, ratione incarnationis suæ missus erat, Matth. XV. 24.  
quia erat minister circumcisionis Rom. XV. 8. neq; ad certum  
locum videlicet Judæam, & terram palæstinam, ex quâ Chri-  
stus in statu incarnationis suæ non discessit: sed indeterminatè  
& universaliter loquitur, tum ratione temporis, tum ratione  
populi, tum ratione loci, ut aliam commemorationem, aliam  
adventum h. l. intelligendum esse, nimirum spirituales indi-  
caret: ille enim indeterminatè est quorum vis temporum, ad-  
ventum enim suum mysticum & spirituales Filius Dei institu-  
it ab origine mundi in cordibus fidelium, adhuc hodie celebrat  
eundem apud quosvis verè pios, nec imposterum hunc omit-  
tet: est indeterminatè omnium populorum & locorum: nul-  
lum siquidem populum, absoluto quodam decreto, & ex solo  
absolutæ voluntatis beneplacito repudiavit: sed ex omnibus  
gentibus sibi Ecclesiam colligit, ex omnibus populis sibi spon-  
sam eligit, & vult ut omnes ubiq; pœnitentiam agant & cre-  
dant Evangelio, Act. XVII, 30. est indeterminatè omnium lo-  
corum

*IV. Ex Omis-  
sâ objecti de-  
terminatione*



corum : in Nov. enim Test. ne quidem angulus est in orbe terrarum, in quo non sit prædicatum Evangelium, Gal. 1. 16. seq. Rom. X. 18. Psal. XIX. 4. 5. & licet in Vet. Test. non taliter fecerit omni nationi, sicut judicia sua manifestavit Israel, Psal. CXLVIII. 19. 20. tamen neminem ex absoluto decreto damnavit, sed sufficientia ad salutem media omnibus suppeditavit, & ex omnibus populis, ex omnibus locis quædam ad veram religionem deduxit. Cum igitur indeterminatus h. l. indicetur adventus, non erit nisi spiritualis, de quo hæc omnia vera esse, ipsa veritas sacrarum literarum passim tum in Vet. tum in Nov. Test. comprobatur.

III. Ex Cantico canticorum.

§. XXVII. Restat adhuc ultimum ex Vet. Test. dictum, quo sane in loco, non unum sed plurima allegare & ad scopum nostrum applicare, spiritu sancto nimirum monstrante, admodum procive esset, sed unum continuum, idq; pulcherrimum clarissimum & summâ admiratione dignissimum dictum constitutum Canticum canticorum : in eo enim nihil aliud nobis describitur, quam mysticus & spiritualis mystici Sponsi Christi ad mysticam sponsam Ecclesiam adventus. Alii quidem ut Anabaptistæ, & quidam heretici vetustiores, de Salomone & Pharaonis filia illud interpretantur, sicut scribit Philastrius Cap. 131. Est hæresis, quæ de canticis canticorum ambigit, ipsa itidem estimans, non spiritu divino, sed humanarum rerum causa, ac voluptatum hominibus, ab eodem prædicata. Item Theodoretus in præfatione Cantici: Pleriq; ex iis, qui canticum canticorum calumniantur, ac spiritualement esse librum negant, fabulas quasdam, ne aniculis quidem delirantibus dignas contexunt: Alii nimirum, quod sapiens Salomo, de seipso deq; Pharaonis filiâ præscripserit. Nonnulli autem eidem affines stultitie, pro Pharaonis Filia sponsam esse Abisag Sunamitam confinxerunt. Sed respondet Theodoretus ibidem ejusmodi hæreticis: Debebant isti, qui statuunt, Salomonem de suâ sponsâ Pharaonis filia loqui, se longe vel scientiâ, vel spiritu præstantiores agnoscere sanctos patres, qui librum hunc inter divinas scripturas collocarunt, eumq; ut spiritu repletum comprobantes Ecclesiâ dignum censuerunt. Neq; enim si aliter sensissent, sanctas



sanctarum, scripturarum numero, intemperantiae ac libidinis argu-  
mentum adscripsissent: impudica enim scripta, non à divino, sed Dia-  
bolico spiritu proficiscuntur. Alii (ut Leo Hebraeus Dialogo 3. de  
amore) volunt in hoc cantico nihil aliud à Salomone descri-  
ptum esse, quam colloquium aliquod, quod ipse, tanquam  
sapientissimus Regum, à primis juventutis annis, cum sapien-  
tiâ quam propter pulchritudinem suam intimè sicut sponsam,  
amaverit, habuerit. Ea enim quæ in hoc cantico nobis  
describuntur, neq; ad Salomonem tanquam sponsum, neq; ad  
sapientiam tanquam sponsam, referri possunt, adeoque hæc  
sententia minimè probabilis videtur. Alii ut Isidorus, Clarius,  
Franciscus Vatablus, super h. l. dicunt: in sensu allegorico hoc  
canticum, de Christo & Ecclesiâ, in sensu vero literato & histo-  
rico, de Salomone & Filiâ Pharaonis agere. Quam senten-  
tiam etiam approbat Ludovicus Soto in præfatione pag. 31. scri-  
bens: Non est piaculum existimare vel asserere, filia Pharaonis nu-  
ptias & amores, occasionem seu materiam aliquam præbuisse Auto-  
ri scribendi hujus Epithalamii seu cantici, atque personam dilectæ,  
quæ tanquam sponsa loquitur in cantico, introducendi: videtur e-  
nim Salomon, si diligenter attendamus & expendamus ejus verba  
singula, & figuras verborum, atque sententias hujus divini cantici,  
prorsus alludere ad aliquam historiam, seu rem gestam, & ad ali-  
quos veros & proprios suos amores conjugales, & quidem primos  
atque præcipuos, vel præsentis, vel præteritos, vel filia Pharaonis  
Regis, propter eximiam ejus excellentiam, vel certè alicujus alterius  
Reginæ præ cæteris amabilis & dilectæ. Verum licet non nege-  
mus, Salomonis, ut & omnium aliorum fidelium conjugium,  
figuram & typum gerere spiritualis, inter Christum & Ecclesi-  
am, conjunctionis: licet etiam concedamus, Salomonem oc-  
casionem quandam, ex conjugali amore, vel sumpsisse vel su-  
mere potuisse: nondum tamen sequitur, quod propterea hoc  
canticum, quoad literalem & historicum sensum, de terrestri Sa-  
lomone & Regina loquatur. Si enim, secundum Lyrannum, in  
præfat. h. l. Sensus literalis non est ille, qui per voces significatur, sed  
qui

G

qui



qui per res significatas primo intelligitur: ille ipse parabolicus & allegoricus sensus, de spiritualibus Christi & Ecclesie nuptiis est literalis, à spiritu sancto unice intentus hujus cantici sensus. Et quemadmodum Christus in parabolis suis de Rege nuptias parante Filio Matth. XXII. 1. de decem virginibus obviam euntibus Sponso, Matth. XXV. non loquitur sensu historico & literali, de secularibus quibusdam nuptiis: Ita idem quoque de hoc cantico verissimum. Alii, quorum mentionem facit Theodoretus d. l. per Sponsum intellexerunt Regem Salomonem, per Sponsam Rempublicam Judaeorum: Sed neque hæc sententia veritati consentanea, ut facile ex ipsis verbis probari posset, si propositi nostri ratio hoc ipsum concederet. Sixtus Senensis eo nomine accusat etiam B. Luth. l. 8. Bibliothec. bares: 8. pag. 645. Quasi hujus erroris compos fuisset. Ita enim scribit: Lutherus, in exordio suarum annotationum, secutus est errorem illorum hereticorum, qui statuunt, Canticum hoc colloquium esse inter Salomonem & Rempublicam Judaeorum. Eandem accusationem repetiit Jodocus Coccius tom. 1. thesauri lib. 6. art. 8. pag. 628. Et Bellarminus lib. 1. de V. D. cap. 5. Verum res salva est: Lutherus minimè illorum falsam approbavit opinionem, quorum Theodoretus fecit mentionem: sed per Salomonem intelligit ipsum Deum, per Rempubl. Ecclesiam Vet. Test. Ita enim scribit, tom. 4. Jen. Lat. pag. 268. in enarratione cantici Anno 36. Existimo esse hoc ejusmodi canticum, in quo Salomon, laudibus Deum celebret, eique, pro constituto & confirmato divinitus regno, ac politia sua, gratias agat. Quelibet politia, in qua est Ecclesia & princeps pius, potest hoc canticum Salomonis non aliter uti, ac si de sua ditione compositum esset. Atqui hoc modo, ex isto canticum canticorum, fit communis quedam cantio pro omnibus politiis, quæ sunt populus Dei h. e. quæ verbū Dei habent & reverenter colunt. Hæc quidem verba videntur primo aspectu talia, sed subdolè agunt pontificii in allegandis verbis Lutheri, quod enim pro sua calumnia stabilendâ videtur facere, allegant, reliqua, quæ explicationem verborum, & mentis Lutheri continent, omittunt. Cum igitur  
qui-



quilibet verborum suorum optimus sit interpres, audiendus sane Lutherus, quomodo hæc sua verba statim in sequentibus explicet, ita enim inquit: *Salomon constituit in hoc cantico Deum Sponsam, & populum suum sponsam, atque ita canit, quanto opere Deus populum illum diligat, quot & quantis beneficiis eum afficiat & cumulet, denique ea benignitate eundem complectatur & foveat, quàm nullus nunquam sponsus sponsam suam complexus est & fovit.* Et in *Comment. cap. 8.* super verba: *Soror mea parvula, & ubera non habet, &c.* hæc leguntur: *Salomon in fine hujus Cantici respicit ad spirituale regnum Christi, quod expectabatur futurum longè amplius & majus, quam corporale regnum populi Judaici fuit &c.* Hoc ergo dicit, si spectemus amplitudinem ejus regni, quod per *Nov. Test. Christus instituet, tunc noster presens populus rectè comparabitur parvula puella, nondum habenti ubera b. e. nondum mature satis ad prædicationem Evangelii per totum mundum spargendi.* &c. Judicent igitur Jesuitæ Lutherum, ejusq; verba, non ex suo cerebro ad calumniandum pronò, sed ex ipso Lutheto: nec ariolo nec interprete opus est nobis h. l. ubi omnia clarè, omnia manifestè & perspicuè satis declarantur, & exponuntur ab ipso auctore. Eant potius & suos accusent οὐοψήφης, qui minus congrua, minus sana, de hoc mystico Ephitalamio solent affere qui partim de aliis, (ut antea dictã,) partim de Mariâ virgine illud explicare solent, in quâ sententiâ expolienda & exornandâ laborant *Rupertus Tuitiensis, Honorius Augustodunensis, Alanus Rupensis, Johannes Hailgrinus, Dionysius Carthusianus, Guilielmus parvus Martinus Delrio & Michael Gbislarius* totum canticum cum aliis scriptoribus applicare solent. Hinc *Salmeron tom. 3. tract. 5. pag. 39.* scribit: *Cantica canticorum de Mariâ maxime intelligenda sunt. Bellarm. l. 4. de amissione gratiæ cap. 15. duplici argumento probare cupit in Cantico canticorum de B. Mariâ virgine agi (1) quia multi sanctorum de B. virgine illud exponunt, ut Bernbardus, Rupertus, Dionysius. (2) quia Ecclesia Catholica in festis ejusdem B. virginis, vel in officio matutino vel in sacrificio Missæ lectiones ex canticis recitare jubet.* Verum falsum est, quod patres hoc canticum de Mariâ virgine



explicaverint, neque ipse *Bernhardus* totum hoc canticum de  
Mariâ exposuit, sed recentiorum & supersticiosorum pontifi-  
ciorum figmentum & commentum est, qui, nescio quo spiritu du-  
cti, Mariæ exaltationem, Filii veto Dei subjugationem, extra verbum  
divinitus patefactum, quæ siverunt & in venerunt. Primus vero,  
qui hoc canticum de Mariâ explicuit, fuit obscurus quidam scri-  
ptor, nomine *Idiota*, qui vixit post mille à Christo nato annos  
& incepit quædam dicta Cantici hujus de Mariâ virgine expli-  
care, quem secutus est postea *Hugo de S. victore*. *Rupertus* & alii.  
Et licet quædam ex hoc cantico de B. virgine possent intelligi,  
nondum tamen sequitur, omnia hujus cantici verba de eâ esse  
solum explicanda, & totum hoc canticum de verbo ad verbum,  
ad Mariam esse referendum, aut quod literalis & historicus  
sit sensus à Spiritu sancto intentus, sed allegoricè ea omnia  
sunt accipienda, quæ ad Mariam referuntur. † Ante omnia ta-  
men cavendum est, ne tales quæramus & afferamus vel explica-  
tiones vel applicationes, quæ cum fidei pugnant analogia,  
quæ enervant Christi meritum, aut alium quendam fidei in-  
verbo Θεοπνευστω nobis revelatum articulum: ac præterea  
de applicatione horum dictorum Pontificii scriptores non-  
dum inter se conveniunt, sed ut Cadmæi fratres adhuc liti-  
gant, & licet caudis instar vulpecularum Samsoniticarum sint  
conjuncti, capibus tamen maximè sunt disjuncti. Omnium  
autem absurdissimi sunt Alchymistæ, qui in hoc cantico auri-  
fodinam quandam nobis mysticis verbis propositam esse sibi  
persuadere non verentur, quia Salomo tanquam sapientissimus  
omnium hominum, naturæ mysteria accuratissimè cognoverit,  
& illam artem fingendi & formandi aurum hoc in cantico  
mysticis & obscuris verbis proposuerit. Sed qui Spiritum S.  
novum aurifabrum in hoc cantico constituunt, cum rectâ ra-  
tione insaniunt: non hic terrena sed cœlestia, non caduca,  
sed æterna, non corporalia sed spiritualia inculcantur. Or-  
thodoxi patres partim de Christo, ejusque humanâ naturâ: partim  
de Christo & Ecclesiâ triumphante: partim de Christo & Ecclesiâ  
mili-

- *Offic. del.*  
- 667.



*militante, s. quavis animâ fideli exponunt inter, quas ultima  
 sententia, quæ verissima & communissima, nostro instituto est  
 convenientissima. In hac enim sententiâ est Tertullianus l. 4.  
 adversus Marcion. cap. 11. In se enim & Ecclesiam deputat, de qua  
 idem Spiritus ad ipsum, Esa. XLIX. 18 Et circumpones tibi eas  
 omnes velut ornamentum sponsa. Hanc sponsam Christus sibi etiam  
 per Salomonem ex vocatione gentium arcessit, siquidem legisti. Veni  
 sponsa de Libano. Eandem sententiam approbat Origenes Ho-  
 mil. 1. ex duab. in Cant. Christum sponsum intellige, Ecclesiam spon-  
 sam sine maculâ & rugâ. Idem quoque Cyprianus lib. 1. Epist. 6.  
 Quod autem Ecclesia una sit, declarat in Cantico canticorum Spi-  
 ritus sanctus ex personâ Christi dicens: Una est columba mea, perfecta  
 mea, de quâ item denuò dicit: Hortus conclusus, soror mea, sponsa  
 mea &c. Si autem hortus conclusus est, sponsa Christi, quæ est Eccle-  
 sia, patere res clausa alienis & prophanis non potest. Cassiodorus in  
 præfat. Cantic. Salomon inspiratus divino spiritu, composuit hunc li-  
 bellum de nuptiis Christi & Ecclesie, & quodammodo Epithalamium  
 fecit Christi & Ecclesie, id est Canticum super thalamos. Bernhar-  
 dus serm. 68. in Cantic. Quæ est sponsa & quis est sponsus? hic  
 Deus noster est, & illa, si audeo dicere, nos sumus cum reliqua, qui-  
 dem multitudine captivorum, quos ipse novit. Et postea: Quid est  
 sponsa: nisi congregatio sanctorum? Honorius Augustodunensis in Com-  
 Materia libri est sponsus & sponsa, id est Christus & Ecclesia. Bre-  
 viter huic sententiæ assensum præbent: Athanasius in Synopsi:  
 Optatus Milevitan. l. 1. adversus Parmen. Philastrius heres: 131.  
 Epiiphanius heres: 33. Hieronymus in Epistola ad Paulinum de  
 sacra scripturae libris. Augustinus. lib. 15. de civit Dei cap 22. Et  
 idem lib. 17. de civit. Dei cap. 20. Theodoretus in præfati Cantic. Cant.  
 Isidorus Hispalens. lib. 6. Etymolog. cap. 2. Beda lib. 2. in Cantic. cap. 1.*

§. XXVIII. Neque hæc Patrum explicatio, est ἀγχαφφ  
 vel ἀνλιγχαφφ, sed in Scripturâ tum V. tum N. Test. clarè sa-  
 ris proposita, abundè satis repetita, & à Spiritu S. ipso expli-  
 cata. Cum enim ea sit vera explicatio, quæ quam proximè  
 accedit ad mentem ejus, qui primum locutus est, secundum  
 Aristot. lib. de Interpret. utique illa sententia est verissima & cer-  
 tissima, quæ ab ipso Spiritu Sancto in Scripturis tradita &



evoluta: cum itidem quilibet verborum suorum optimus sit  
interpres, Spiritus Sanctus autor & dictator hujus Cantici ve-  
rum & genuinum sensum ejus, & voluit, & potuit multis in lo-  
cis Scripturæ insinuare, neque id obscuris saltem, sed vel ma-  
ximè apertis verbis proponere. Recte enim scribit *B. Hilari-  
us l. 1. de Trin. Optimus interpres est, qui dictorum intelligentiam  
ex dictis potius expectet, quam imponat, & retulerit magis quam at-  
tulerit: neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem  
presumpserit intelligendum.* Et *Ambros. Serm. 8. in Psal. 118. Mul-  
ta obscuritas est in scripturis Prophetis, sed si manu quadam mentis  
tuæ scripturarum janua pulses, & ea, quæ occulta sunt, diligenter  
examines, paulatim incipias rationem colligere dictorum: & aperie-  
tur tibi, non ab alio, sed à Dei verbo.* Quibus monemur, ut in ob-  
scuritatibus locorum Scripturæ Sacræ, non ad nostros sensus  
aut conceptus confugiamus, sed ex alio cognato & manife-  
stiore loco explicationem obscuritatis petamus. Nam secun-  
dum *August. Spiritus S. Scripturas Sanctas ita magnificè ac salubri-  
ter modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret: obscurioribus  
autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè ex obscurioribus illis erui-  
tur, quod non alibi plenissimè addò planissimè dictum reperiatur.  
lib. 2. de doctrinâ Christi cap. 6. & ut nullâ unquam prophetia allata  
est ex voluntate humanâ, ita etiam nulla interpretatio unquam fuit  
idiæ ἰδιᾶς ἰδιᾶς ἰδιᾶς propria interpretationis 2. Pet. 1. 19. 21. Afferamus  
igitur non stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quo-  
modo volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc grave, hoc leve est:  
Sed afferamus divinam stateram, ac Scripturis Sacris, tanquam de  
thesauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus: imo non  
appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus, ut idem scribit  
*August. l. 2. contra Donatist. de baptism. cap. 6. Scripturas si jam  
scrutamur, quomodo illa canticum hoc explicet, nihil aliud  
reperimus, quam Christum esse Sponsum mysticum, Eccle-  
siam item esse Sponsam mysticam. Testimonia satis multa,  
satis plana passim in divinis literis notata extant: Psal. XLV.  
Messias Sponso specioso, Regio & divino, Ecclesia vero regis  
Spon-**



Sponsæ comparatur, quam comparationem utique Salomon à Patre Davide hæreditate accepit, & in hoc Cantico insigni commentario illustrare voluit. *Psal. LXVIII. 13. Decus domus dividet spolia Luth. redd. die Hausbehre: in notis marginalibus explicat: Decus domus in Sanctâ lingua significat Matrem familias, cujus nomine b. l. intelligitur Ecclesia Sponsa Christi dispensatrix bonorum apud se depositorum. Esa. LIV 5. quia maritus tuus erit, qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus, & Redemptor tuus Sanctus Israel, qui Deus omnis terræ vocatur. Cap. LXI. 10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi Sponsam Sacerdotali ornatu, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis. Cap. LXII. 4. 5. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata: Sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua adamata, quia complacuit Domino in te, & terra tua adamata erit. Sicut gaudebit Sponsus super Sponsam, sic gaudebit super te Deus tuus. Vid. Jer. II. 2. 32. cap III. 1. & 4. Ezech. XVI. 8. seq. Hof. II. 7. 16. 19. cap III. 1. Matth. IX 15. cap XXII. 2 cap XXV. 1. 10. Johan. III. 28 29. 30. 2. Cor. XI. 2. Ephes V. 23. 25 31. 32. Apoc. XI. X 7. cap XXI. 2. cap XXII. 17. 20. Ex quibus omnibus Sole meridiano clarius apparet, omnes Prophetas, omnes Apostolos, imò Christum ipsum & Johannem Baptistam, non aliter hoc canticum intellexisse: nostrum igitur est, in datâ Spiritus S. explicatione acquiescere.*

**S. XXIX.** His ita præmissis, optimo certe jure illud affirmare possumus, Canticum hoc nihil aliud, quam unam continuam, à capite ad calcem, probationem nostræ quæstionis continere: Videmus hoc hæc vice saltem ex augusto exordio: Osculetur me, inquit Ecclesia, osculo oris sui: ad quæ verba *Bernhardus Serm. 7. in Cant. hæc annotavit: Vide familiare, amicumque colloquium animæ in carne suspirantis cum cælestibus potestatibus. Gestit in oscula, petit quod cupit, non tamen nominat, quam amet, quia illos nosse non dubitat, utpote de quo, frequens sibi cum illis soleat esse confabulatio. Propterea non dicit: osculetur*  
*me*



me ille vel ille, sed osculetur me tantum, sicut Maria Magdalena non exprimebat ex nomine, quem quareret, sed tantum agebat ei, quem putabat hortulanum: Domine si tu sustulisti eum. Quem eum? non aperit, quia palam omnibus esse credit, quod a suo corde nec ad momentum recedere potest. Et Gregorius Nyssenus hom. 1. in Cant. Quia verba Sponsi Spiritus sunt vita: quicumque autem conglutinatur Spiritui, sic Spiritus, & qui vita conjungitur, transit a morte ad vitam, propterea spiritualis anima desiderat appropinquare fonti vite, nempe ori Sponsi, unde scaturientia verba vite eterne implent os ea attrahens. Item Ambros. lib. de Isaac & anima cap. 3. Osculatur nos Deus verbum, quando cor nostrum & principale hominis Spiritu divina cognitionis illuminat, quo anima donata charitatis pignore nuptiali leta atque ovans dicit. Os meum aperui & duxi Spiritum Psal. CX. IX. 131. Osculum est enim, quo invicem amantes sibi adhaerent, & velut gratiae interioris suavitate potiuntur. Per hoc osculum adhaeret anima Deo Verbo, per quod sibi transfunditur Spiritus osculantis, sicut etiam ii, qui se osculantur, non sunt labiorum praelibatione contenti, sed Spiritum suum sibi invicem videntur infundere. Et serm. 1. in Psal. 118. Osculatur nos Dei Verbum, quando sensum nostrum Spiritus conjunctionis illuminat. Et postea. Fortasse illud; Osculetur me ab osculo oris sui, significat Spiritus S. supervenientis gratiam, sicut Angelus ad Mariam dixit: Spiritus S. superveniet tibi. Ex quibus omnibus clarissimum est, nostrum adventum mirifice his verbis stabiliri. (1.) Ex Ecclesiae desiderio: cum non frustra speret, non frustra desideret, sed desiderio suo potiatur. (2.) Ex desiderii modo: Osculetur me, inquit, desiderando igitur orat & optat: preces autem piorum exaudit Deus. (3.) Ex petitionis objecto: quia petit osculum oris sui, quod est verbum, quod ex ore egreditur, spiritualis nostri adventus instrumentum & vehiculum. (4.) Ex osculi natura: Osculum enim est effectus & signum dilectionis, qui igitur osculatur, necessario praesens est: osculum est species unionis: nam uniuntur non tantum in osculo labia osculantium, sed etiam animorum & cordium fit conjunctio: Amantium enim est una anima in duobus



duobus corporibus: ita Christus etiam per hoc osculum  
nostra accedit corda, fit nobiscum unus Spiritus, unum  
cor: osculum nihil aliud est, quam transfusio & commu-  
nicatio spirituum, sicut Scalig. exerc. 310. scribit: *Amans  
cum amatâ re unum esse, quoad licet, appetit. Quocirca & hæ-  
rent & corpora conferunt, & Spiritus duos osculorum conjunctio-  
ne, unus ut sit, faciunt. Id quod amoris fundamentum cum pu-  
tarent esse Veteres sapientes, basium Græcâ voce nominarunt. Sic  
& h. l. Ecclesia petit communicationem Spiritus Christi, ut  
unus cum Christo sit Spiritus, sicut scribit Bernhard. Serm. 8.  
in Cant. Pater in divinis diligit Filium, & Filius Patrem vicis-  
sim ardentissimo amore amplectitur. Illa itaque gignentis geniti-  
que cognitio pariter & dilectio, quid nisi osculum est suavissimum,  
sed secretissimum? Et si rectè Pater osculans, Filius osculatus ac-  
cipitur, non erit abs re per osculum Spiritum Sanctum intelligi, ut  
qui Patris Filiique imperturbabilis pax sit, gluten firmum, indi-  
viduus amor, indivisibilis unitas. De ipso igitur audet Ecclesia  
Sponsa, ipsumque infundi sibi fidenter sub osculi nomine petit.  
Ibid: Petit osculum, h. e. Spiritum Sanctum invocat, per quem  
accipiat simul & Scripturæ gustum, & gratiæ condimentum. &c.  
Non exiguum quid aut vile putat Sponsa osculari ab osculo, quod  
non est aliud, nisi infundi Spiritu Sancto. Cyrillus lib. 12. in Jo-  
han. cap. 16. Sicut ore suo in sufflando dederat animam, quæ est  
principium vitæ temporalis, ita eodem ore in sufflando dedit etiam  
Spiritum Sanctum, qui est principium vitæ spiritualis, ut ipsemet,  
qui fuerat creator, agnosceretur recreator. (5) ex loquendi modo:  
loquitur in plurali, quia non petit unum osculum, sed plu-  
ra, imo nihil aliud quam unum continuum & perpetuum  
osculandi actum. Hinc Ambros. lib. 1. de Isaac & animâ c. 3.  
Non unum osculum quarit, sed plura oscula, ut desiderium suum  
possit explere. Quæ enim diligit, non est unius osculi parcitate  
contenta, sed plura exigit, plura vindicat, & ita se amplius dilecto  
se commendare consuevit Luc. VII. 45. Non cessavit osculari. Ergo  
& hæc anima oscula Verbi multa desiderat, ut illuminetur divinæ  
cognitionis lumine. Cum igitur spirituali vita semper in-  
digeat anima, nec ex se illam habere valeat, illam à Sponso*

H

multi-



multiplicitate & continuitate osculorum desiderat, & ita eo ipso spirituales Sponsi sui adventum confirmat. Progredi quidem jam possemus, & reliqua etiam hujus Cantici membra considerare, ex illis adventum nostrum mysticum corroborare, & ita superflue ac abundanter illum demonstrare. Sed cum illud non permittat disputationis series, nec ulla, propter dictorum jam explicatorum perspicuitatem & firmitatem, amplius restet dubitatio de nostro adventu, hic V. Test. dicta concludimus, alia alii temporis reservamus.

§. XXX. Accedendum jam esset ad Testimonia Novi Testamenti, & ex iis etiam firmissima & certissima argumenta, pro nostro confirmando adventu producenda, sed cum præter opinionem excreverit disputatio, cum magis etiam locorum V. Test. necessaria sit explicatio, quia Nov. Testam. scriptis collata videntur minus perspicua, minus clara, cum etiam N. Test. dicta in se satis sint clara & manifesta, non erimus prolixi, in dictorum explicatione & resolutione, neque multa ex uno quolibet loco, pro nostrâ confirmandâ materiâ producemus argumenta, sed sufficiat nobis hic nuda allegatio & recitatio.

§. XXXI. Ex Evangelistarum scriptis verè adventum Christi spirituales confirmant sequentia testimonia: *Matth. XI. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. cap. XII. 20. ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. cap. XXII. 20. Ecce ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Marc. XVI. 20. Illi autem profecti predicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Job. VI. 56. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo. Cap. XIV. 23. Si quis diligit me sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Cap. XV. 5. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.*

Cap.



Cap. XVII. 21. Ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, & Ego in Te, sic & ipsi in nobis unum sint.

§. XXXII. Ex Apostolorum Epistolis hæc allegamus dicta: Rom. VIII. 9. 10. Vos in carne non estis, sed in Spiritu: Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est, propter peccatum, Spiritus vero vita est, propter justitiam. 1. Cor. VI. 15. 16. 17. An nescitis, quod corpora vestra membra Christi sunt? quomodo igitur eripiam Christo membra sua, & efficiam ea membra meretricis? An nescitis, quod, qui adheret meretrici, unum corpus est. Redigentur enim, inquit Scriptura, duo in carnem unam. Qui autem adheret Domino, unus Spiritus est cum eo. Galat. II. 20. Vivo jam non ego, sed vivit in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Galat. III. 26. 27. Omnes estis Filii Dei, eò quod credidistis Christo Jesu. Quicumque enim baptizati estis, Christum induistis. Ephes. II. 20. 21. 22. Super ædificati estis super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum Sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini, in habitaculum Dei per Spiritum. Eph. III. 16. 17. Det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus in interiore homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris. cap. IV. 15. 16. Veritatem sectemur in charitate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram unius cujusque membri augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate. Cap. V. v. 30. 31. 32. membra sumus corporis ejus, ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo Patrem & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ. Magnum hoc mysterium est: Ego autem dico illud in Christum & Ecclesiam. 2. Pet. I. 3. 4. in cognitione Dei & JESU CHRISTI Domini nostri omnia nobis divina virtutis, quæ ad vitam & pietatem donata sunt, ut per hæc efficiamur divine



*confortes natura, 1. Job. II. 24. Vos quod audistis ab initio, in vobis  
 permaneat, quia si in vobis permanserit, quod audistis ab initio, vos  
 & in Filio & Patre manebitis. Cap. III. 6. omnis qui in Christo manet  
 non peccat. v. 24. qui servat mandata ejus, in illo manet, & ipse in eo  
 Et in hoc scimus, quoniam manet in nobis, ex spiritu quem nobis  
 dedit. cap. IV. 12. si diligamus nos invicem, Deus in nobis ma-  
 net. v. 13, Ex hoc cognoscimus in eo nos manere, & ipsum in no-  
 bis, quod de spiritu suo dedit nobis. v. 15. Quisquis confessus fue-  
 rit, quod Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. v. 16.  
 Nos cognovimus & credidimus charitatem, quam habet Deus in  
 nobis: Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, &  
 Deus in eo. Cap. V. v. 11. 12. Hoc est testimonium, quod vitam aeternam  
 dedit nobis Deus, & hac vita in Filio ejus est. Qui habet Filium  
 habet vitam aeternam, qui non habet Filium Dei, vitam non  
 habet.*

**§. XXXIII.** His scripturae testimoniis adjungi possunt  
 rationes ex analogia fidei petita, quarum aliquas pro nostra  
 quaestione stabilienda adducimus, & eam quidem confirma-  
 mus (1) *Ex Christi appellatione*: dicitur Christus יְהוֹשֻׁעַ  
 non tantum quia est **NOBISCUM DEUS**, & ita propter as-  
 sumptionem nostrae naturae, quia est יְהוֹשֻׁעַ Deus &  
 homo, frater noster, caro de carne nostra, & os ex osibus  
 nostris: Neq; etiam solum quia est Deus **PRO NOBIS**,  
 qui apud aeternum patrem intercedit & deprecatur, & pre-  
 tium redemptoris persolvit, *Rom. VIII. 32. 34.* Est ad dextram  
 Patris & interpellat pro **NOBIS**. Si **DEUS PRO NOBIS**,  
 quis contra nos, *1. Timoth. II.* Unus mediator Dei & homi-  
 num. Homo **JESUS CHRISTUS**, qui dedit se ipsum pretium  
 redemptionis **PRO** omnibus: Sed etiam quia est **DEUS**  
**IN NOBIS & APUD NOS**. Nam corda Christianorum  
 inhabitat, eaque regit & sanctificat, sibi que conformia red-  
 dit, *Gal. II. 20.* vivit **IN ME** Christus *Eph. III. 17.* Habitat  
 Christus per fidem **IN** cordibus nostris. Deinde **APUD**  
**NOS** est in omnibus periculis, doloribus & morte ipsa praesens  
 noster יְהוֹשֻׁעַ, protegens & salvans Nos. *Esa.*  
*XLIII. 1. 2. 3. 4. 5.* *Et nunc haec dicit Dominus, creans te Jacob*  
&



*Et formans te Israel: Noli timere, quia redemi te, Et vocavi te nomine tuo, meus es tu cum transferis per aquas, tecum ero, Et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, Et flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel, Salvator tuus. Ego dilexi te, Et dabo homines pro te, Et populos pro animâ tuâ: Noli timere, quia ego tecum sum.* Psal. XLVI. 8. Dominus Zebaoth NOBISCUM, protector noster Deus Jacob. Psal. XCI. 15. Cum ipso sum in tribulatione. Matth. XXVIII. 20. Ecce ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi.

§. XXXIV. (2) *Ex Christi incarnatione*: quia propterea Filius Dei est incarnatus, ut bona in Adamo per miserimum lapsum amissa repararet. Jam autem λόγος ante lapsum gratiâ suâ hominem primum inhabitavit. Ergo etiam hanc inhabitationem reparavit. (3) *Ex nostra regeneratione*: quicumque enim in Christum baptizati sunt, Christum induerunt, Gal. III. 27. (4) *Ex nostrâ cum Christo unione*: quia ipse caput, nos membra ejus sumus, Eph. V. 23. 30. 1. Cor. VI. 15. (5) *Ex spiritualis cum Christo communionis descriptione*: describitur autem ea, quod sit talis cum Christo conjunctio, qua per fiducialem apprehensionem ejus & beneficiorum omnium merito ejus acquisite juxta promissionem Evangelii, in intimam ejus familiaritatem adducimur, ita ut in nobis ipse maneat, & nos in ipso, istaque immanentiam mutuam Christus Noster factus vivificam ac spirituales alendi facultatem in nos effundat. Hinc Cyrillus ad Theodos: *de rectâ fide*: Postquam cœlos ascendit, in nobis est, per Spiritum, Et per hoc quod spiritus participes sumus, Christum in nobis respicimus, qui autem Spiritum CHRISTI non habet, non est ipsius CHRISTI. (6) *Ex vulgarâ adventus triplicis distinctione*: CHRISTUS enim venit ad homines, venit in homines, venit contra homines. Bernhard. serm. 3. de adventu: primus fuit humilis & despectus: secundus graciosus: tertius gloriosus: primus in incarnatione temporali, Job. I. 14. Gal. IV. 4. secundus in generatione spirituali Job. XIV. 23. Apoc. III. 20. tertius in judicio universalis Matth. XXIV. 30. Cap. XXV. 31. De primo & tertio alibi, de secun-



secundo nos h. l. egimus. Siquidem quotidie Christus ingreditur in nos & nostra corda, per fidem & Spiritum sanctum inhabitat. Sic enim vivificat in se credentes Christus quia cum ipse vita sit, in credentibus habitat per fidem. Nos hanc inhabitationem, hunc adventum Christi desiderantes & optantes, presentem disputationem verbis Bernardi spiritu plenissimis, ex ipsius jubilo petitis claudimus & obfirmamus: *O Jesu mi dulcissime, spes suspirantis anime: Te quarunt pia lachryma, Te clamor mentis intima. Quocunque loco fueris, Jesum meum desidero: Quam letus, cum invenero, quam felix cum tenuero! Tunc amplexus: tunc oscula, quae vincunt mellis pocula, tunc felix Christi copula, sed in his parva mortalia. Veni, veni Rex optime, Pater immensa gloria, Affulgenti clarius, jam expectatus sepius. Jesu sole serenior, & Balsamo suavior, omni dulcore dulcior. Ceteris amabilior. Sequar te quocunque ieris, Mibi tolli non poteris, cum meum cor abstuleris Jesu, laus nostri generis. Jesus ad Patrem, rediit, Coeleste regnum subiit, Cor meum a me transiit, post Jesum simul abiit. Quem prosequamur laudibus, vatis hymnis & precibus, ut nos donet caelestibus, secum perfrui sedibus.*

Τῷ Πατρὶ δόξα Θεῷ τὰ ὀλίμπια δώματ' ἔχοντι,  
 χρῆσθ' ὁ δόξα Θεῷ, πνεύματι δόξα Θεῷ.

**O**lim tempus erat, cum nostros induit artus  
 Aptavitq; sibi membra caduca Deus.  
 Olim tempus erit, cum Majestate verendâ  
 Adveniet rigidi judicis ora ferens.  
 Sed nunc quotidie nostri penetralia cordis  
 Intrat & igne suo frigida membra fovet.  
 Hæc nobis hodie auspiciis felicibus affers,  
 Hæc tu, FABRICI, non sine laude doces.

JOHANNES MEISNERUS, D.



**M**ystica, FABRICI penetrabilia pandis aperte  
Christus in Adventu quâ ratione beet.  
Mysticus adventus Christi tibi spiritualis,  
Qui nos cum Christo jungit amore pari  
Talia si monstras: si talia credis & ipse,  
Flamine cum Christus sic erit usq; tuus.

Samuel Ritter. L.

Ad

*Eximium & Doctissimum*

**Dn. M. JOHANNEM FABRICIUM**  
AMICUM COLENDUM.

**N**ullus Rixarum modus est. En! Schismata cudunt  
Dira, Novatores. Quæ cumulare nefas.  
Tu FABRICIADES, cum sint TIBI BIBLIA Princeps  
Cura, vides quoq; COR Christum habitare PIUM  
Quod varii variè falsoque exponere tentant  
Et scrupulum quærunt hic, ubi nullus adest  
Defendis justò hæc ex fontibus, eruis inde  
Sensum, ne dubii quid magè subsideat.  
Perge ita felici conamine, perge; manebunt.  
Credas, Te, studio præmia digna Tuo,

*Stante pede & currenti calamo appropere.*

**M. Andreas Prætorius,**

*Brandenbur. March.*

**G**randia scripsisti quondam perdocte FABRICI  
De primo Adventu lemmata docta ferens.  
Grandia nunc pergis conscribere mystica tractans,  
Si dederis semper grandia, grandis eris,

*Hæc paucula suavissimo suo Contubernali deproper.*

**M. Johannes Deutschman.**

**U**T solidi quondam magni adventare Dynastæ  
Sæpius ingenui concinuere viri  
Quî labor illorum fuit haud frustaneus ausus,  
Nam mansisse illos præmia multa ferunt.

Tu



Tu jam majus opus tentas perdocte Magister,  
Gloria Mæonii magna futura chori,  
Dum vulgas Christi totius principis orbis  
Adventum ac ejus Spirituale bonum.  
Ergo Tibi meritò largissima munera laudis  
Hoc opus eximium qui leger ipse dabit.

1.  
**W**eilich da du rühmlich stiegest  
An der Ehren hohe Bahn/  
Und hierdurch dein Lob auftriebest  
Sternen hoch und Himmel an;  
War mein Ahnen daß noch mehr  
Würde folgen solcher Ehr.

2.  
Und es ist auch so ergangen/  
Dein Muth lästet noch nicht nach/  
Du bist noch von dem gefangen  
Was nur häget fleiß und wach/  
Wer dich vom Fleiß hältet auf  
Zwinget starcker Ströme Lauf

5.  
Denn was rechte Arch der Jugend  
Uns erwirbt und zugesellt/  
Bleibet stets in grüner Jugend  
Nimmer mit der Zeit hinfälle  
Lob das Kunst und Jugend bringe  
Bleib zum Himmel aufgeschwinge.

3.  
Nun du wilt dich irte begeben  
Auf den rechten Weisheit Zweg/  
Dein Sinn wil nicht daran kleben  
Was uns bringe auf irren Weg/  
Was du hierin hast gethan  
Zeigt das kluge Werck uns an.

4.  
Fahre fort laß dich nicht halten  
Streite mehr zu langer Zeit  
Du wirst künfftig noch verwalten  
Güter grauer Ewigkeit/  
Dein Lob soll nicht sein bedeckt  
Sondern stets hoch aufgesteckt.

Georgius Mland/  
Jütreboe. Saxo.



05 A 1456

ULB Halle

3

003 777 839




VD 77











Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



SU CHRISTI!  
IO SACRA.

# CHRISTI ADVENTU

ELES,

ESIDIO

AD MODVM RE-

LISSIMI ATQVE

ENTISSIMI

S SCHARFII,  
& Professoris Publici

on p. t. Acad Rect.

Promotoris sui omni honoris  
atq; devenerandi.

tioni exponit

FABRICIUS,

urgo-Marhic.

die Decembr.



NBERGÆ,  
DHNERI, Acad. Typ.

C L.